CATHOLIC BOOK AGENCY
PIAZZA PONTE S. ANGELO, 28
ROME (ITALY)

BIBLIOTHECA
FRANCISCANA ASCETICA
MEDII AEVI

EDITA CURIS

PP. COLLEGII S. BONAVENTURAE

Tomus VII.

AD CLARAS AQUAS, FLORENTIAE

FIRENZE-QUARACCHI

EX TYPOGRAPHIA COLLEGII S. BONAVENTURAE

1929.

MEDITATIO

PAUPERIS IN SOLITUDINE

AUCTORE ANONYMO SAEC. XIII

EDIDIT

P. FERDINANDUS M. DELORME, O. F. M.



AD CLARAS AQUAS, FLORENTIAE
FIRENZE-QUARACCHI
EX TYPOGRAPHIA COLLEGII S. BONAVENTURAE
1929.

48003

Proprietas litteraria

Ex parte Ordinis nihil obstat quominus imprimatur.

Romae, e Coll. S. Antonii, die 6 Maii 1929.

Fr. Bonaventura Marrani, O. F. M.
Minister Glis.

Imprimatur.

Florentiae, die 19 Maii 1929.

† Ioachim Bonardi, *Vic. Gen.*

BIBLIOTHECA FRANCISCANA ASCETICA MEDII AEVI

Haec collectio complectitur opuscula ascetica et mystica, quae scriptores Ordinis Minorum medii aevi lingua latina scripserunt.

Tomus I. **Opuscula S. P. Francisci Assisiensis.** In 16° pag. XVI-209 . . . . . L. 5 —

Tomus II. **Speculum Beatae Mariae Virginis** Fr. Conradi a Saxonia. Pag. XXVIII-281. » 6 —

Tomus III. **Dicta Beati Aegidii Assisiensis.** Pag. XX-124. . . . . » 5 —

Tomus IV. **Stimulus Amoris** Fr. Iacobi Mediolanensis. — **Canticum pauperis** Fr. Ioannis Peckam. Pag. XX-205 . . . . . » 5 —

Tomus V. **Dialogus de gestis Sanctorum Fratrum Minorum,** auctore Fr. Thoma de Papia. Pag. XLVII-315 . . . . . » 7 —

Tomus VI. **Tractatus de Pace,** auctore Fr. Gilberto de Tornaco. Pag. XLIV-191 . » 5 —

Tomus VII. **Meditatio pauperis in solitudine,** auctore anonymo saec. XIII. Pag. LI-371. » 6 —

PRAEFATIO

Isto volumine prima, sicut existimo, curatur editio *Meditationis pauperis in solitudine*. Licet enim inter meliores primitivae litteraturae ascetico-franciscanae meo iudicio computetur, tractatus iste praeclarus nescio qua fortuna sic ad nostra tempora mansit neglectus, sic quasi sepultus, ut de eo nullus coaevorum auctorum videatur facere mentionem, recentiorum vero paucissimi sint locuti. Hinc est quod, de illius diligenti publicatione sollicitus, insimul collegi quidquid poterat suam indolem illustrare. Dicetur ergo de codicibus in quibus hactenus invenitur, de libri tempore et auctore, de

fontibus ipsius litterariis; tandem conspectus syntheticus aliquam eius ideam exhibebit summarie. Quae omnia nisus sum verbis paucis, calamo tamen sufficienti, tractare, quatenus studiosi fructuosius queant ipsum perlegere. Ceterum, adhibui plerumque notitiam olim a me delineatam sub titulo: *Elévations théologiques sur S. François l'autre ange au signe du Dieu vivant*[1], quam in nonnullis reddidi magis completam.

1. De codicibus *Meditationis*.

Ex variis et praecipuis codicibus bibliothecae communalis Assisii documenta franciscana praebentibus duo ad rem spectant praesentem, quos primum a. 1921 et iterum subinde studio attento subieci, quippe quod statim eos summi iudicabam momenti. Numeris ergo 422 et 439 in catalogo respective notantur.

[1] In *Studi francescani, Ricordo del VII Centenario delle Stimate,* Firenze 1924, pag. 5-24.

Codex 439 est membranaceus, saec. XIV, mm. 195×140, foliorum 52 binisque exaratus columnis. Fol. 1r, in summa pagina, legitur: *Incipit meditatio pauperis in solitudine. Ego vir videns...* Opus fol. 49b hisce terminatur: *salutifere dulcorabit, ut dicitur 4 Reg. 4 etc. Explicit meditatio pauperis in solitudine.* Immediate sequitur, fol. 49v–52, S. Bonaventurae liber *De regimine conscientiae* seu *De triplici via* vel etiam *Incendium amoris* vocatus [1]. Textus per rubricas regulariter est divisus, aliquoties littera capitalis grandior ponitur in sectionum initio. Scriptura, primum subtilis et confusa, a fol. 14 sensim fit minus densa, nitidior, bene legibilis. Correctiones sunt rarissimae. Signabitur littera **B**.

Codex 422 est item membranaceus et saec. XIV, binis scriptus columnis, mm. 150×210, foliorum 128. Operimentis destitutus, detrimentum aliquod inde

[1] Cf. G. Mazzatinti, *Inventari dei MSS. delle biblioteche d' Italia*, IV, Forlì 1894, p. 93.

subiit. Ibi *Meditatio* S. Bonaventurae *Breviloquium* subsequitur, quod occupat fol. 1r–60v; in summo fol. 61a statim habes: *Incipit meditatio pauperis in solitudine. Ego vir videns...* Textus continuatur una manu sine interruptione, generatim absque rubrica, divisionibus interim solo spatio vacuo indicatis. Dolendum valde est quod fol. 128, aqua et usura consumptum, ex parte perierit ac in verso partis remanentis amiserit atramentum, quo fit ut tractatus, prius integer, nunc sit mutilus et suus epilogus, circumstantias compositionis enarrans ut videtur ac sermonem faciens de ipso auctore, plene non possit haberi [1]. In summitate folii 127v legitur a manu posteriori scriptum: *Veritatis theologie et meditatio pauperis Bonaventure,* quasi *Meditatio* et *Breviloquium* essent ambo seraphici Doctoris [2]. Signabitur littera **A.**

[1] Cf. G. Mazzatinti, l. c., p. 91. [2] *Itinerarium mentis in Deum* S. Bonaventurae dicitur etiam aliquando *Speculatio pauperis in deserto,* ut videre est in editionibus; inde quaedam potuit oriri confusio.

Iure credimus dictos codices esse independentes ab invicem. Considerentur enim omissiones seu variantes verbales in utroque, longiores praesertim et quae solent propter homoeoteleuton produci. Has ultimas lector in notis ad textum advertet, ad pag. 25, 59, 74, 106, 110, 120, 195, 202, 246, 252, 261, 276, 320, 329 pro codice A, ad pag. 109, 146, 222, 243, 271 pro codice B. Evidens est quod B non habuit ab A neque A vicissim a B deficientia verba seu commata; nec insuper A recepit epilogum integrum a B, apud quem deest, sed ab alio codice forsan prototypo. Sunt igitur ipsi paralleli; supplendo quisque lacunas alterius mutuo se complent et ad perfectam constitutionem textus concurrunt.

Observandum autem quod, sicut Sbaralea in *Supplemento ad scriptores trium ordinum* [1], n. 390, et P. Fidelis a Fanna in suis Collectaneis manu scriptis B co-

[1] Ed. Romae 1806, pag. 62 b et 63 a; ed. Romae 1908, pag. 66 a.

dicem notaverunt, sic ex adverso codicem A descripsit ipse Bonelli, *Prodromus,* Bassani 1767, col. 382, n. 32, praecise advertens quod ibi *Meditatio* post *Breviloquium* ponitur et quod deest ultima pagina, illa scilicet quam supra quasi periisse iam dixi. Qui tamen S. Bonaventurae *Opera omnia* ediderunt [1], hos duos inter codices ab ipsis collatos vel non collatos penitus omiserunt. Ad haec addas quod de ambobus altum servant silentium inventaria librariae sacri conventus Assisii a. 1382 confecta [2]: hinc nescitur unde proveniant.

2. Quo tempore fuit composita *Meditatio.*

Asseruit Sbaralea *Meditationem* circa a. 1270 fuisse conscriptam: « Anonymus II, inquit in dicto *Supplemento,* incertae regionis ac temporis, antiquus ta-

[1] Cf. t. V, pag. XVII et XIX; t. VIII, pag. XII. [2] Cf. L. Alessandri, *Inventario dell' antica biblioteca* etc., Assisi 1906.

men, quippe qui videtur floruisse circa a. 1270, edidit opusculum hoc titulo *Meditatio pauperis in solitudine*... totusque est in describenda et per loca S. Scripturae extollenda B. P. Francisci paupertate ». Verum, pace clari auctoris, dixerim quod perfunctorie legerit opus aut ad duo prima folia codicis A solum respexerit. Ad folium enim tertium occurrit Nicolaum III expresse citari, qui edidit bullam *Exiit* 15 aug. 1279; in sequentibus autem, ut cuique perspicuum erit, plura quam S. Francisci paupertas extolluntur.

Bene igitur ante Sbaralea iam notaverat ipse Bonelli [1] quod praefatae decretalis memoria necessario post a. 1279 reponit opusculum. Huius siquidem luce clariora sunt verba [2] contra quosdam S. Francisci regulae detrahentes: « Eorum ora durissimo excommunicationis freno ligavit, sicut luculenter apparet in

[1] *Prodromus ad opera omnia S. Bonaventurae*, Bassani 1767, col. 382. [2] Infra, pag. 13-14.

decretali domini Nicolai papae III nuper edita super regula vere pauperum Christi fratrum Minorum ». Si bulla pro tunc « nuper edita » potuit dici, evidens est quod tractatus eam memorans non multo post tempore scribebatur.

Possumusne longius progredi annumque compositionis pressius computare? Re quidem vera. Recordetur tantum locus, pag. 46, ubi mentio fit visionis quam habuit certus frater devotus de die et hora impressionis SS. Stigmatum: « Ipsa impressio illorum sacrorum stigmatum non sine sensu immensi doloris et magno eiulato vocis est facta, sicut ipse beatus pater Franciscus cuidam devoto fratri certitudinaliter revelavit ». Porro, dicto fratri, prout patet monumentis historicis [1], nomen erat Matthaeus de Castellione, de custodia Aretii; cumque accessisset ad montem Alvernae a. 1281, mense maio, tunc dignatus est visione S. Francisci,

[1] Cf. *Arch. francisc. hist.*, XII (1919), pag. 347 et 391; *Anal. francisc.*, III, pag. 641-645; V, pag. 389-392, 401-402.

qui sibi tanti miraculi circumstantias revelavit. Addunt autem eadem monumenta quod de hac visione, mandante capitulo generali Argentinae (1282) celebrato, fuit sub forma authentica facta inquisitio Florentiae die 11 oct. 1282.

Quid igitur? Tali stante facto historico, illud auctor *Meditationis* cognovit ex auditu, ut videtur, vel post capitulum vel post processum. Quidquid detur, cum quasi certitudine a. 1282 aut 1283 fuisse scriptis commemoratum concludimus. Nihil amplius determinari potest, deficientibus argumentis.

3. A quo fuit scripta *Meditatio*.

Ex tempore quidem notitiae de qua superius: *Elévations théologiques* etc. sperabam a viris in litteratura medii aevi versatis, et in historia litteraria mysticae speciatim, indicia vel informationes inveniri, quibus nomen auctoris *Meditationis* proponeretur cum aliqua probabilitate,

immo ad lucem definitive veniret. Ast ne minimum quid fuit ab illis doctis prolatum quod quaestionem illustret. Cum ergo, mutilo ad finem codice A, desit epilogi pars unde potuisset indicatio suboriri, remanet ad praesens insolubilis positive. Proinde, sicut ibi egi nullum asserendo nomen, nullam affirmativam tenendo sententiam, sed potius via inquisitionis et exclusionis eundo, sic et nunc satius credo similiter procedendum.

Non est autem quod probetur iste auctor fuisse frater Minor, cum totus liber id clamet aperte. Quis sit ille, perquirimus; cuius nationis sit filius, quale sit suum nomen, scire desideramus. Ad caelos igitur iam evocato S. Bonaventura, fr. Ioanne de Peckam a. 1279 ad sedem Cantuariensem promoto, fr. Gilberto de Tornaco prorsus excluso [1], veniunt ad mentem ceteri scriptores alicuius nominis

[1] Mortuus est a. 1284. Cf. *Bibl. francisc. ascet.*, VI, pag. XIV-XV. Comparatio cum tractatu *De pace* excludit omnem affinitatem litterariam.

in rebus mysticis tractandis circa finem saec. XIII existentes. Quin velim alios tacere potiori iure forsan nominandos aliquando, mentio pro nunc occurrit fr. Ioannis de Caulibus, fr. Hugonis Panziera, fr. Servasancti, fr. Petri Ioannis Olivi et fr. Salimbene Parmensis, qui omnes de rebus spiritualibus scripserunt.

Fr. Iohannes de Caulibus audit illum, cui communiter tribuuntur pseudo-bonaventurianae *Meditationes vitae Christi.* Est sane scriptor pius, inquit Sbaralea [1], verumtamen mediocris, non doctor, non theologus; loquitur enim ascesim practicam potius quam mysticam speculativam. Vixit et scripsit primis annis saec. XIV aut etiam ultimis saec. XIII. Ex sanctis Patribus continuo et quasi unice citat S. Bernardum [2]. Inter suum opus et nostram *Meditationem* nullam video simi-

[1] *Supplementum* etc., ed. Romae 1806, pag. 158; ed. Romae 1908, pag. 163. [2] Cf. L. Oliger, *Le Meditationes Vitae Christi del Pseudo-Bonaventura,* in *Studi francescani,* VII (1921), pag. 143-183.

litudinem: utriusque auctoris modus differt totaliter; propterea nequeo illam ipsi tribuere.

Fr. Hugo Panziera, vir facundus et bonus theologus, qua missionarius et insimul scriptor mysticus celebratur. Zelo fidei propagandae in Orientem profectus est circa a. 1307, ubi creditur mortuus circa a. 1330. In vulgari lingua canticos scripsit, epistolas necnon tractatus de vita spirituali et contemplativa, in quibus pluries corripit errores Begardorum ac sectae liberi spiritus [1]. Nihil commune cum auctore *Meditationis* puto eum habere, praesertim cum a. 1282–1283 iunior fuerit et vix tam altae doctrinae principiaverit studium.

Maiorem meretur attentionem fr. Servasanctus, cuius merita litteraria sunt praeclara. Florebat enim ab a. 1260 ad finem saec. XIII, proinde contemporaneus est nostri auctoris. Plures scripsit trac-

[1] Cf. G. Golubovich, *Bibl. Bio-bibliografica*, III, pag. 110 sq.

tatus, de quorum numero unum *De virtutibus et vitiis*, alium *De exemplis naturalibus*, tertium *De poenitentia*, quartum *Mariale;* omnes, licet obliti atque inediti (praeter *Sermones*), valentem scriptorem denotant [1]. At ex eis constat ipsum non esse scholasticum seu proprie speculativum, sed moralistam captui communi aptantem doctrinam et exemplis eam facilem reddentem. Certe suus saltem modus procedendi nullam relationem revelat ad stilum et modum *Meditationis* [2].

Occurrit et nomen sanctae memoriae fr. Petri Ioannis Olivi. Solemnis est sententia qua, seraphicum imitatus Doctorem, docet intelligi de S. Francisco locum Apoc. 7, 2, ubi agitur de angelo habente signum Dei vivi: « Patet », ait [3],

[1] Cf. L. Oliger, *Servasanto da Faenza O. F. M. e il suo Liber de virtutibus et vitiis*, in *Misc. Fr. Ehrle*, I, Roma 1924, pag. 148-189. [2] Idem omnino dico de fr. Ioanne Guallensi, cuius plura opera exstant in cod. conv. soppr. 1225. F. 8 Bibl. Nation. Florentiae. [3] Ap. Doellinger, *Beiträge zur Sektengeschichte des Mittelalters*, II, München 1890, pag. 540.

ipsum [Franciscum] vere esse angelum apertionis sexti signaculi habentem signum Dei vivi, signum scilicet plagarum Christi crucifixi et etiam signum talis transformationis et configurationis ipsius ad Christum et in Christum; et hoc ipsum per claram et fide dignam revelationem est habitum, prout a fratre Bonaventura, solemnissimo theologiae magistro ac nostri Ordinis quondam generali ministro, fuit Parisius in fratrum Minorum capitulo [1] me audiente solemniter praedicatum ». Eadem est omnino doctrina *Meditationis;* addatur quod, sicut et istius auctor, Olivi fuit sanctorum Patrum sedulus cultor. Verum apud Olivi eminet modus procedendi scholasticus, quod nullus de nostro theologo valebit asserere; praeterea, non est verisimile quod a. 1282-1283, gravibus aemulorum molestiis prop-

[1] Communiter dicitur quod hic agatur de capitulo generali Parisiensi (1266); verbum autem optime potest intelligi de aula capitulari conventus, in qua *Collationes* fiebant, et ideo interpretationem vulgatam censeo relinquendam.

ter quaestiones doctrinales vexatus, animum intenderit ad talem librum scribendum.

Restat pauca dicere de Fr. Salimbene Parmensi, quem sua *Chronica* fecit illustrem [1]. Ibi, p. 195, afferens illud Apoc. 1, 13: *Vidi similem Filio hominis,* scribit a. 1284 de S. Francisco: « In quibus autem fuerit similis [Christo], quia alibi scripsi, ideo hic taceo, quia ad alia dicenda festino ». Quibus verbis resultat clare non quod Salimbene librum specialem de similitudinibus inter Christum et S. Franciscum composuerat, sed solum quod de tali themate in aliquo fuerat libro locutus, quin restringere debeamus librum ad hoc unicum thema. His tamen positis et dato quod quoad tempus compositionis ac subiectam materiam satis cohaereat *Meditatio* dictis fr. Salimbene, sufficitne ut eam ipsi clausis oculis tribuamus? Non credo. Quae-

[1] *Monumenta Germaniae historica,* SS. XXXII, p. 195.

dam enim ideae communes inter *Chronicam* et illam bene explicantur etiam in duobus scriptoribus qui vivant eodem tempore, sub eisdem influxibus, etsi non regione eadem.

Meditatio igitur remaneat anonyma, quoadusque opera mystica saec. XIII exeuntis melius perlustrentur et veniant ad plenam lucem auctores qui in illis profecerunt. Neque enim est desperandum. Quando quis tanti valoris scriptum capax fuit componendi, mirum esset si ante vel post aliam non redegerit scripturam [1], etsi nullus coaevorum de eo traderet memoriam. Forsan, propius attendentes ad suos fontes, poterimus aliquod saltem fundatum suspicium efformare.

4. Quos legerat auctor *Meditationis*.

Quod spectat fontes remotos, ut sunt Biblia, sancti Patres, remitto lectorem ad

[1] Cf. infra, p. 121: « Ego autem omnia dicta et dicenda... offero »; p. 272: « propter brevitatem ad praesens omitto ».

Indicem, immo ad ipsum librum. Nullus est sane qui non miretur tantam ex eis, nedum ex Philosopho, copiam auctoritatum, quibus arte stupenda constat *Meditatio.* Utique doctissimus erat, qui tot valuit testimonia colligere vereque musivum opus cum eis aedificare. Fateor tamen eum ab originalibus plura non traxisse, sed potius secunda manu recepisse. Sic ex Gratiani *Decreto,* sicut evidenter patet, pag. 64, 66, 305, quaedam Ambrosii necnon Hieronymi tenuit; sic etiam ex *Apologia* S. Bonaventurae vel ex *De perfectione evangelica* I. de Peckam [1], quaedam alia Augustini potuit admittere, ut illa *De lapsu mundi,* p. 236, et *De singularitate clericorum,* p. 218. Tales compilationes quasi aurifodinae exstabant, quae thesauros inventu faciles viris doctrinae sacrae cupidis recondebant.

[1] Locus libri *De lapsu mundi,* sumptus ex Sermone 14, alias 110 *De tempore* (PL 38, 112), invenitur in *Cant. paup.* pag. 158, et *De perf. evang.,* c. 1, pag. 10, Ioan. de Peckam; in *Apol. paup.,* c. 7, n. 25, S. Bonav. Locus alter *De singularitate clericorum* invenitur in *Apol. paup.,* c. 3, n. 17.

Plus ad rem nostram refert ad fontes viciniores et recentiores attendere, auctores scilicet immediatiores, qui saec. XIII vixerunt vel etiam in certa regione, ut in Gallia. Non loquar de regula II S. Francisci nec de decretali *Exiit* Nicolai III, quae diversis vicibus aut commento subiciuntur aut simpliciter citantur: textus erant diplomatici et officiales, et ad manus omnium pervenerant. Fontes hic proprie volo intelligi illos privatos scriptores, in quorum doctrina plus minusve fundatur *Meditatio*, quorum verba profert expresse, quorum ergo influxus fuit propior, quicumque sit iste. Ipsi enim viam aperuerunt auctori, illum circumstant; proinde indicium aliquod praestant, ut ei situm seu regionem demus.

Incipiamus a fr. Ioanne de Peckam, cuius apologeticum opus est satis notum. Iam ei possumus tribuere quinque tractatus pro defensione vitae et regulae fratrum Minorum. Hi sunt: 1° *De perfectione evangelica,* alias *Tractatus pau-*

peris; 2° *Contra Robertum Kilwardby;* 3° *Epistola de sandaliis Apostolorum* (inter *Opera omnia* S. Bonav., t. VIII, p. 386-390); 4° *Expositio super Regulam fr. Minorum* (inter *Opera omnia* S. Bonav., t. VIII, p. 391-437); 5° *Canticum pauperis pro dilecto*[1]. Notes velim, lector, opuscula numeris 3 et 4 contenta: illorum enim authenticitatem efficaciter et definitive intendo alibi vindicare, ea reddendo fr. Ioanni, quam citius poterim. Hic autem ultimum opus, i. e. *Canticum pauperis,* specialius attenditur, quia verbotenus exscribitur in *Meditatione,* ut patet.

Meditatio, p. 95-96; *Canticum,* p. 195: « Hic est enim ille Othoniel, qui... lingua canum tuorum etc. ».

Meditatio, p. 219-220; *Canticum,* p. 199: « Studeas nunquam videre, audire, alloqui... orationes prolungatae amabiles toto corde ».

Meditatio, p. 244-245; *Canticum,* p. 200: « Teque solum despicias ac homini omni... merearis ab hominibus reputari ».

---

[1] Editur in *Bibl. francisc. ascet.,* V, pag. 133-205.

Meditatio, p. 255; *Canticum*, p. 198: « Non enim quamcumque... humiliter obedivit ».

Meditatio, p. 256-257; *Canticum*, p. 198: « Cum religiosi alii soleant obedire... semper meritum duplicetur ».

Meditatio, p. 268-269; *Canticum*, p. 196: « Quae sententia invalida esset... existere est credendus ».

Meditatio, p. 274-276; *Canticum*, p. 204: « Quarum tres sunt ad Orientem... se iungere domesticis abdicatis ».

Ecce igitur septem locos in utroque scripto identicos. Quia *Canticum* circa a. 1275–1277, certo ante 1279, *Meditationem* vero, sicut supra patuit, circa a. 1282–1283 reponimus, iure concludimus istam a *Cantico* dependere, non e converso, eoque uti passus prorsus integros reportando. Quo semel stabilito, facile liquet aliis in locis similiter aequalibus nonnulla ex *Cantico* potuisse provenire: ut verbi gratia, p. 136, de creatione S. Francisci sexta die ad imaginem Dei; p. 148, de calvo qui sibi pro zona sumpsit funiculum; p. 178, de

magistro tradente maiora maioribus et minora minoribus; p. 182–183, de praedicationis officio Minoribus competente peculiari regulae capitulo necnon institutione primaeva; p. 222, de Galaad capite Libani et capris de Galaad ascendentibus. Cf. *Canticum,* p. 194, 141, 148, 187–189, 139.

Quod attinet S. Bonaventuram, *Meditatio* non tantum unum ipsius opusculum imitatur, sed quinque ad minus, si bene advertimus. Unde legitime deducitur auctorem habuisse tractatus aureos seraphici Doctoris prae ceteris usuales. Quosnam revera digniores quoad doctrinam eligere debuisset? quosnam et familiariores? supposito speciatim quod Bonaventuram audiat, p. 176, ubi loquitur de suo « authentico ac digno fide magistro ».

Et quidem de S. Francisco loquens et aliquid referens de factis eius aut dictis, semper illi in promptu est bonaventuriana *Legenda maior* vel *minor,* eam ad

verbum haud semel citando. Praeter enim duo triave facta per viam traditionis accepta, quidquid de seraphico Patre enarrat ibi legitur, non apud Celanensem seu quempiam historicum praecedentem. Cf. p. 18, 43, 45, 46, 78, 83, 88, 104, 120, 147, 175, 177, 181–183, 206. Ideo qui curiositate pressus novas ex *Meditatione* notitias circa vitam S. Francisci requireret vel indicia pro theoriis forsitan praeconceptis fovendis, illi plenam deceptionem praenuntio.

An incubuerit auctor noster S. Bonaventurae *Super Sententias* commentariis, quos eodem tempore fr. Salimbene proclamabat[1] « usque in hodiernum diem utiles et solemnes », satis ex doctrina circa daemonum praelationem credimus elucere, p. 185. Ibi stilus et quasi tota phrasis correspondent stilo et formulis ipsius sancti Doctoris, II *Sent.*, d. 6, a. 3, q. 2 (II, 169[a]). Cf. p. 166, nota 1, et p. 282, nota 3.

[1] Loc. cit., p. 299.

Eiusdem etiam Seraphici quaestiones disputatas *De perfectione evangelica* antiquorum ipse fortassis primus allegat et excerpit. Quaestio I magna ex parte fuit transcripta, p. 244 et 247–252, cuius *Solutionem* modeste introducit, p. 246, his verbis: « Ad simplicium mei similium consolationem et profectum aliqua subscribantur secundum meae intelligentiae parvitatem ad aliqualem verae humilitatis fructusque eius et utilitatis cognitionem habendam ». Notetur vox « subscribantur » citationem praeparans. Verisimiliter etiam, ut puto, de corpore articuli 3 Quaestionis III auctoritates duas assumpsit, unam Hieronymi, aliam Augustini. Cf. p. 233, 235.

Nullum autem est scriptum, post *Beniamin* Richardi, quod tanti fecerit, ut credo, et cui plus debeat *Meditationis* auctor, ac *Collationes in Hexaemeron,* illi scilicet mirabiles discursus quos, a. 1273, per modum conferentiarum fecit Bonaventura coram toto Parisiensi conventu, magistris, baccalaureis et 160 fratribus.

Earum textum ad manus habebat praecise conformem reportationi per novissimos editores publici iuris factae, non alteri cuidam Superioris Alemaniae fratri tribuendae iuxta codicem U. V. 6. bibliothecae Senarum; cum hanc ultimam ad publicum sim daturus, extra omne dubium mihi rem posuit examen ambarum. Trium ergo *Collationum* integri passus referuntur ad litteram. Sic ex II[a], n. 30-32, fere totum illud, p. 329–331, quod incipit verbis: « Et ideo cum affectiva est in illa unione » et finitur: « Haec, inquit, mihi sunt oratione postulata »; ex XV[a] vero, n. 3, quae notavi p. 279; ex XXIII[a] tandem multa eorum, quae ibi includuntur numeris 14–31, ut videre est cum *Indice auctoritatum.* Ex numeris 2, 3 et 14 istius existimo iam delineari ideam generalem partis II *Meditationis,* de qua infra, dum e contra totum schema partis III clare indicatur numeris 15-31, proprio scriptoris genio fusius evolvendum auxiliante Richardo de S. Victore.

Post I. de Peckam et S. Bonaventuram occurrit tertius franciscanus, sed poeta, de quo *Meditatio* sumit duas auctoritates. Is est fr. Guido de Marchia, Hugonis comitis Engolismensis et Marchiae filius naturalis, ad quem Nicolaus IV litteras *Apostolicae sedis benignitas* (23 ian. 1291) dirigit [1], quibus dicitur « diu in Ordine laudabiliter conversatus, litterarum scientia, honestate morum et aliis virtutum donis pollere ». A multis igitur annis professionem iam tunc emiserat quadamque fama gaudebat in artibus [2]. Illius sunt duo poemata, quorum unum 580 versuum sub titulo *Defensio fratrum Mendicantium* [3] scripsit circa tempora concilii Lugdunensis (1274), certe ante bullam *Exiit* (15 aug. 1279) Nicolai III. Ab isto, v. 333–336, proveniunt quatuor ver-

[1] Sbaralea, *Bull. francisc.*, IV, n. 398, pag. 210. [2] Cf. B. Hauréau, in *Hist. litt. de la France*, XXIX, p. 552-557.
[3] Edita est a B. Hauréau, in *Bibl. de l'Ecole des Chartes*, XLV, Paris 1884, pag. 1-30, et a C. L. Kingsford, in *British soc. of francisc. studies*, II, pag. 159-191, qui illam attribuit I. de Peckam.

sus infra adducti, p. 218, cum formula: « Quidam non indocte ait »; similiter encomium, quod legitur p. 183: « Vix est pagus... successorum sonus », versus 235-236 ad verbum reddit.

Franciscus ytalicus fuit his patronus,
Vir pauper et modicus, set sanctus et bonus;
Vix est pagus unicus, vix est mundi conus,
Quo non sit autenticus successorum sonus.

Si his tribus addas Cancellarium Parisiensem, cuius quaedam prosa citatur, p. 85, et Adamum de S. Victore, cuius duo versus etiam referuntur, p. 333, habemus quinque auctores, quorum opera in testimonium adducta mihi gravissimam faciunt praesumptionem fuisse redactam *Meditationem* non in Italia, non in Provincia, sed in Francia, ubi isti vixerunt seu scripserunt. Ibi facilius, rapidius et communius eorum scripta ad manus studiosorum veniebant[1].

[1] Antiquiores citationes *Cantici pauperis* mihi cognitae inveniuntur apud Ubertinum de Casali, *De usu paupere*, in *Arch. francisc. hist.* X, p. 141, et Alvarum Pelagium, *De planctu Ecclesiae*, t. II, art. 69, Lugduni 1517, f. 234b. Hi auctores scribebant in Gallia.

Haec mea praesumptio binis validis considerationibus firmatur, videlicet 1° quod exponens virtutes veri fratris Minoris eique proponens paupertatem, caritatem et humilitatem, quae summe illuxerunt in S. Francisco, nunquam specifice tangit quaestiones spinosas alibi dividentes Ordinem; 2° quod in parte III tot inserit sententias ex libro *Beniamin* Richardi de S. Victore, Parisiis theologiae et mysticae principis, ut quasi tota doctrina videatur ex illo transcribi.

5. Idea synthetica integrae *Meditationis*.

Praestat nunc succinctam analysim dare sat grandis opusculi, qua suarum distributio partium indicetur, processus intelligatur et ordo. Aliter enim, quia in codicibus sine tabula et cum raris rubricis habeatur, illud esse meram textuum Bibliae seu sanctorum Patrum silvam facile crederet lector ingenuus, non ad operis

robustam structuram nec ad eximiam eius doctrinam advertens. Iam quidem, codici B innixus, quosdam interserui titulos seu rubricas, ut inspicienti manifestum erit; etsi materiam partiantur, nondum sufficiunt ad largiendum libri ideam adaequatam.

Tractatum attentius intendenti liquet ipsum circa tres conceptus centrales versari ideoque in tres partes aperte dividi, quae sensibiliter sunt extensionis aequalis. In prima late ostenditur (p. 1-134) quanta sit similitudo virtutum Christum inter crucifixum et S. Franciscum stigmatibus insignitum; in secunda (p. 134-269), quod S. Franciscus sit apposite 'alter angelus' signum proferens Dei vivi, de quo Ioannes apostolus in Apocalypsi praenuntiat; in tertia (p. 269-365), quibus debeant splendere virtutibus electi per ipsum signati, spirituales filii, fratres Minores nominatim, ut aedificetur Ierusalem sancta, mystica civitas in quadro posita, portas habens duodecim.

Hae porro sunt rubricae partem I distribuentes:

1. Quomodo Christus in sua passione ostendit summum gradum *paupertatis* . . . . . Pag. 5
2. Quomodo summum gradum paupertatis Christi beatus Franciscus assumere voluit. . . . . » 17
3. Quomodo Christus in sua passione ostendit summum gradum *caritatis* . . . . . » 20
4. Quomodo summum gradum caritatis Christi beatus Franciscus assumere voluit . . . . . » 42
5. De laudibus caritatis et exhortatio ad ipsam . . . . . » 48
6. Qualiter Christus ostendit gradum summum *humilitatis* in passione . » 70
7. Quomodo summum gradum humilitatis Christi beatus Franciscus assumere voluit. . . . . » 77
8. Quomodo fratri Minori dictas virtutes pertinet post beatum Franciscum assumere . . . . . » 79
9. Quid est fratrem Minorem tres virtutes praedictas in summo gradu perfectas assumere . . . . . » 97
10. De gradibus virtutum . . . » 119

Advertendum est hisce directe et propriis proponi terminis ac ad principia theologica solvi quaestionem de conformitatibus S. Francisci ad Christum, quam prius clare expresserant historici, Celanensis et S. Bonaventura, quam saeculo sequenti Bartholomaeus Pisanus ingentis molis tractatu propugnaturus erat[1]. A miraculo stigmatizationis historice trahens originem et in ipso quasi supra basim inconcussam fundata, solutionem expetebat, quae pietati simul et rationi satisfaceret: « Quamvis ego interius perscrutari non queam, ait auctor *Meditationis,* p. 120, aliqua tamen exterius quasi circumloquendo dicam, ut et meis paribus simplicibus satisfaciam et sapientibus dem materiam altius cogitandi ».

Suam igitur dat solutionem *Meditatio* fortiter stabiliendo: 1° quomodo Christus in sua passione praecipue tres virtutes in summo gradu perfectas ostendit, pau-

[1] Cf. *Anal. francisc.,* V, pag. XXXII.

pertatem scilicet, caritatem et humilitatem; 2° quomodo S. Franciscus has easdem virtutes assumpsit ad perfectum in vita sua; 3° quomodo meruit idcirco per impressionem stigmatum recipere quasi sigillum summe configurativum et consummativum illius similitudinis. Haec est tota thesis. « Quia, inquit, summa paupertas, eximia caritas, profundissima humilitas, quae in Christo eluxerunt maxime tempore passionis, in B. Francisco fuerunt verissime... propter quod et ipsi Christo crucifixo meruit incorporari perfecte » (p. 112); et iterum: « Quia ergo B. Franciscus virtutes habuit in summo gradu, secundum quod in Christo crucifixionis tempore claruerunt, necesse fuit ipsum B. Franciscum ipsi Christo perfecte similem fieri in ipsa Christi passione ac crucifixione » (p. 133); sequitur: « Propterea B. pater Franciscus non solum in anima, sed in carneis membris, manibus scilicet ac pedibus et latere, vulnerum Christi stigmatibus decoratis, ipsi Cru-

cifixo factus est perfecte conformis » (p. 134). Cf. p. 175. Quae omnia prosequitur pars I abundanter, dum insimul doctrina de virtutibus mirabiliter evolvitur, speciatim in rubricis 5, 8, 9 et 10.

Opusculi pars II duodecim rubricis determinatur modo sequenti:

1. Ioannes in sexto sigillo . . Pag. 134
2. Alterum angelum . . . . » 139
3. Ascendentem ab ortu solis . . » 142
4. Dei vivi . . . . . » 149
5. Habentem signum Dei vivi . . » 167
6. Clamavit voce magna . . . » 180
7. Quatuor angelis . . . . » 184
8. Quibus datum est nocere . . » 188
9. Terrae . . . . . » 190
10. Mari. . . . . » 208
11. Arboribus. . . . . » 236
12. Quousque signemus servos Dei in frontibus . . . . . » 252

His tradi commentarium continuum celebris loci Apoc. 7, 2–3, quis non videt? Nescio revera num tam copiosus, tam doctus, tanto cum iudicio sit unquam conscriptus. Legatur animo libero, quieto,

non contentioso, et dicatur an ut somniator aut visionarius procedat auctor, non ut exegeta sagax, non ut theologus profundus et prudens, qui textum et contextum scrutatur, qui mentem suam regulat ad normam sanae doctrinae. Varii, qui opposita docuerunt, varias excogitaverunt expositiones plus minusve fundatas; ast in memoriam, velint nolint, venit verbum Pisani non usquequaque insipienter asserentis [1]: « Si quis hanc figuram non esse de beato Francisco dicat, ostendat de quo alio sit intelligenda habente signum Dei vivi *ut habuit* beatus Franciscus, et credam ei ». Verbum sane aureum, quod stat et stabit, sive textus Ioannis audiatur litteraliter sive symbolice, ut quidam hodie malunt.

Ceterum, ad hanc evertendam doctrinam non sufficeret contendere quod olim fuit Ioachitarum et Spiritualium, vel innuere quod eam in Gerardo de Burgo

[1] *De conformitate vitae B. Francisci ad vitam D. Iesu* fruct. I, parte 2, n. 4, in *Anal. francisc.*, IV, pag. 43.

S. Donnini damnavit S. Bonaventura aut etiam quod in revelatione tributa S. Bonaventurae fundatur, vel tandem asserere quod a nonnullis theologis [1] reprobabatur. Talia namque cautissime sumenda sunt ideoque nihil probant. Si enim damnata fuisset in Ioachitis, quomodo eam S. Bonaventura cumque ipso totus Ordo et Ecclesia suam fecissent in *Legendis maiori* et *minori,* quae legebantur in publico vel in officio liturgico? Praeterea, nullus unquam nisi gratuito dixit in Gerardum animadvertisse Bonaventuram praecise propter istam sententiam. Relate vero ad revelationem praetensam S. Bonaventurae notetur quod testes meliores et primi, fr. P. Ioannis Olivi [2] et fr. Ubertinus de Casali [3], eam dicunt non ipsi factam, sed alii seu aliis, ab ipso vero solum narratam et transmissam; nullatenus autem probatum est et Bonaven-

[1] Inter quos Guido de Terrena et Petrus de Palude. Cf. *Archivo ibero-americano*, IX (1922), pag. 29-47. [2] Cf. supra, pag. XX. [3] *Arbor vitae crucifixae*, lib. V, c. 3.

turam et dictos testes in ea fundari, licet isti illam recordentur. Nominati tandem theologi, qui contrariam sententiam tulerunt, debuissent esse liberi a studio partium; erant autem adversarii declarati, iudices proinde suspecti, nulli.

Manet ergo integra doctrina *Meditationis,* cui tanta provenit auctoritas ex nomine S. Bonaventurae, S. Bernardini Senensis, Leonis X in bulla *Ite et vos* (29 maii 1517), totque virorum doctorum et piorum qui decursu saeculorum illam amplexati sunt [1]. Iterum dico: legatur animo libero, quieto, non contentioso [2]; nihil ibi est somniatoris aut visionarii.

Tota est pars III in describendo symbolice numerum mysticum 144000 ex omni tribu filiorum Israel signatorum ab

---

[1] Cf. S. Bihel, *S. Franciscus fuitne angelus sexti sigilli?* in *Antonianum,* II, pag. 63-84. [2] H. Sedulius, *Historia seraphica,* Antuerpiae 1613, pag. 83a: « Si consideret animus liber et a contentione vacuus S. Bonaventurae verba et diligenter inspiciat: 'Hunc Dei nuntium fuisse Franciscum indubitabili fide colligimus', non valde, nisi me fallit opinio, refragabitur ».

**

isto 'altero angelo'. Israel seu Iacob est ipse Franciscus, filii Israel sunt omnes Francisci filii spirituales (p. 277); numerus 144000 est numerus civitatis sanctae, Ierusalem novae (p. 272); civitas in quadro posita, quatuor habens latera et in unoquoque portas tres, est religio sancta, i. e. Ordo fratrum Minorum (p. 273), cuius regula 12 habet capitula quasi 12 portas (p. 275); portae 12 cum nominibus 12 tribuum insculptis designant 12 virtutes quibus signantur filii novi Iacob, i. e. Francisci, quae idcirco numerantur iuxta numerum portarum et tribuum (p. 280). Sequentibus rubricis omnia concluduntur:

1. Audivi numerum signatorum 144 millia . . . . . Pag. 269

Primum latus

2. Iudas = aeternae veritatis veridica professio . . . . . » 282
3. Ruben = supernae maiestatis humilis veneratio . . . . . » 286
4. Gad = internae sanctitatis virilis custoditio . . . . . » 290

Secundum latus

5. Aser = sempiternae beatitudinis appetitus praecipuus . . . Pag. 293
6. Nephtali = fraternae dilectionis affectus dilatatus . . . . . » 296
7. Manasses = mundanae prosperitatis contemptus perfectivus . . . » 302

Tertium latus

8. Simeon = benignae miserationis affectuosa condescensio . . . » 304
9. Levi = severae districtionis aemulatoria rectitudo . . . . . » 307
10. Issachar = mundanae tribulationis victoriosa perpessio . . . . » 314

Quartum latus

11. Zabulon = sublimis mansionis status pacificus . . . . . » 325
12. Ioseph = sagacis discretionis conspectus perspicuus . . . . » 336
13. Beniamin = suavis consolationis excessus exstaticus . . . . » 354

Ut stat schema, sumptum est ab *Hexaemeron* S. Bonaventurae, coll. XXIII, n. 15–31, cuius proprias formulas reddit; commentum nihilominus et plenam ex-

plicationem recipit a doctrina Richardi de S. Victore in suo *Beniamin*, a quo proinde celebri magistro mystica nostri auctoris formaliter et palam in his dependet.

6. De modo procedendi *Meditationis*.

Ad finem huius praefationis properanti mihi videntur adhuc pauca, quae scriptorem potius concernunt, tangenda. Vere fuit homo doctissimus in theologia, qui, « manu Elisei superinfusa farinula » (p. 364), tam profundam valuit collationem inter Christum et S. Franciscum instituere, de virtutibus quoque tam sollerter disserere, tot auctoritatibus Scripturae fretus et sanctorum Patrum. Non minus fuit prudens, quodcumque periculum erroris a se et ab aliis praecavens diligenter. Sic enim pluries lectorem alloquitur: « Non tamen intelligas » (p. 23); « nec intelligas hic » (p. 56); « vide autem quomodo intelligas verbum illud »

(p. 108); « non est intelligendum quod » (p. 123); « ad te hoc dico, qui corporaliter intelligis » (p. 125); « sane autem intellige » (p. 216); « vide autem ne te aliquatenus moveat » (p. 178). Sic etiam eum a Ioachim avertit: « Tu autem, inquit (p. 7), hoc sane intellige, ne libello damnato abbatis Ioachim favere videaris ».

Haud semel directe percutit, data occasione, errores Averroistarum a. 1277 Parisiis damnatos. Errorem 176, quod felicitas sit in hac vita, his verbis evertit (p. 127): « In hoc tamen erraverunt [Philosophi], quia crediderunt ipsam felicitatem in praesenti vita haberi posse, quod plane falsum est »; errorem 157, quod homo virtutibus naturalibus sufficienter est dispositus ad felicitatem, taliter reicit (p. 128): « Ipsasque virtutes non a Deo dari dixerunt, sed per frequentationem actus habitum asserunt fieri virtuosum... quod non est verum simpliciter »; errorem denique 144, quod omne bonum con-

sistit in virtutibus intellectualibus, sequentibus oppugnat (p. 328): « Patet quod error est dicere quod tota beatitudo in intellectu consistit, sicut quidam indocti et in existentibus firmati dixerunt ».

De se ipso multoties loquitur; at inde sua voluntas recte scribendi plenius effulget: « Ego autem non puto » (p. 29); « ego autem puto sic esse intelligendum » (p. 140); « ego autem hic attendendum puto » (p. 153); « singula haec requirendum puto » (p. 143): « absque enim omni dubio credo » (p. 44); « hic maxime video requirendum » (p. 162); « ego autem alium non credo, alium non intelligo » (p. 84); « ego a meis accepi maioribus » (p. 46); « ego ab authentico magistro meo didici » (p. 176); « ego perscrutari non audeo credens tarditatem ingenii mei » (p. 270). Alias animose scribit: « Audeo enim dicere quod » (p. 57); « audeo dicere in eis verbum illud impletum » (p. 67); « audacter hoc abnego,

hoc reprobo constanter » (p. 143); « usque ad finem mundi, audeo dicere, audietur » (p. 181); « si mihi non credis, interroga Iudaeos » (p. 184); « hoc, si mihi non credis, per sacram Scripturam latissime possum probare » (p. 229). Contentiosum sciebat hominem; ideo ait: « Possumus autem locum istum propter contentiosos et aliter considerare » (p. 167). Tot formulae, si sensum habent, in eo magnam signant animi applicationem ad doctrinam scrutandum et illam terminis appropriatis reddendum. Si non plus ceteris, cum fiducia saltem ei licebat dicere: « Attendite diligenter, notate verba, signate mysteria » (p. 138); prius in se consilium adimpleverat.

Fuit insuper vir magni zeli inter fratres suos. Pro ipsis totus liber est, in quo Regulam defendit (p. 13) et saepius interpretatur, in quo tam magnifice de virtutibus proloquitur: « Ego autem, inquit (p. 121), omnia dicta et dicenda ad laudem et honorem D. N. I. Christi ac

patris nostri beati Francisci omniumque sanctorum fratrum Minorum qui fuerunt, sunt et erunt offero », et hoc « ut meis paribus simplicibus satisfaciam » (p. 120). Alibi commendans humilitatem ait (p. 246): « Ad simplicium mihi similium consolationem et profectum aliqua subscribuntur ». Frequens est in allocutione directa: « Tu ergo qui hoc in cruce Domini legis » (p. 12); « cogita ergo, tu quicumque es, si capere potes » (p. 119); « quis ergo tu es... quis tu es » (p. 76); « tu ergo qui Minor diceris » (p. 113); « haec autem maxime attendere debent, quibus » (p. 205); « propter quod attendere debes tu, qui hanc [Regulam] profiteris (p. 256); « sed attende cura praecipua, sollicitudine diligenti, ut sis secundum nomen tuum, scilicet frater Minor » (p. 114); « tu ergo quicumque es, qui diceris frater Minor, si vere minor, hoc est vere humilis, esses sicut fuit beatus Franciscus » (p. 79); « tu ergo, qui eius aciei iunctus es, diligenter attendere debes »

(p. 175). Haec methodum simul et scriptorem ad vivum manifestant.

In quo propriissime reponatur spiritus vere franciscanus, aliquando disputatum est [1], et ad id statuendum quaestio veniebat quae sit proprie virtus S. Francisci characteristica, per suos filios imitanda et eos a ceteris religiosis discernens, alio paupertatem, alio zelum animarum, alio devotionem ad Crucifixum, alio nescio quam virtutem praeconizante. Ecce suam solutionem mirifice claram proponebat *Meditatio* abhinc sex saeculis. Iuxta illam nempe tres virtutes summe coluit S. Franciscus in Christo patiente praecipue resplendentes, ob quas meruit assimilari Christo per stigmatizationem: paupertatem, caritatem et humilitatem; in tantum igitur erit quis filius spiritualis ipsius, in quantum possidebit has tres

[1] Cf. U. d'Alençon, *L'Ame franciscaine*, Paris 1913, 2e, Ed., pag. 31-108; A. de Sérent, *L'Ame franciscaine*, in *Arch. franc. hist.* VIII (1915), p. 448-466; L. Bracaloni, *A proposito di una publicazione*, ibid., p. 467-481.

virtutes assimilativas ipsi et per ipsum Christo (p. 97–119). Ab his ergo filii S. Francisci denominantur antonomastice ‘pauperes fratres Minores’; hoc est eorum nomen proprium, haec est eorum definitio[1]. Quo sensu Ioannes Baptista « et ipse vere fuit frater Minor » (p. 106, 142), et Paulus: « Ipse, audeo dicere, exstitit frater Minor » (p. 348, 360), immo Christus « secundum veritatem primus ac verus fuit frater Minor iuxta consummationem omnium praedictarum virtutum » (p. 94, 114).

Certe, sicut ex dictis videtur sequi, non insipidum, non mortiferum pulmentum coquit nobis novus Eliseus, sed salutifere dulcoratum ac plenum scientiae Sanctorum (p. 364). Sit ergo mea conclusio, sicut est totius *Meditationis* the-

[1] Auctor bene advertit quod agat de virtutibus characteristicis fratris Minoris, quibus scilicet S. Francisci filii spirituales ab aliis distinguuntur: « Licet praedictas virtutes habeant, de istis loquitur (p. 117), non tamen in illa perfectione quam Christus in cruce ostendit, secundum quod eas fratres Minores retinent ». Cf. p. 4.

ma [1], veritas quam ipsemet proponit in principio libri (p. 4) et quam rogo lectorem benevolum semper mecum meditari: « Haec est doctrina praecipua omnium, haec est prima philosophia, haec est theologia summa, Christi scilicet perfectionem... in se intelligere ac habere ».

P. Ferdinandus M. Delorme, O. F. M.

Ad Claras Aquas, 28 martii 1929.

---

[1] Ad historiam vitae spiritualis in Ecclesia credo *Meditationem* haud parum profuturam; inserviet namque ad melius delineandum veram spiritualitatem franciscanam, quam diversae publicationes iam tetigerunt. Cf. P. Pourrat, *La spiritualité chrétienne*, II, c. 6, Paris 1921; M. Lekeux, *Esquisse d'un portrait de saint François d'Assise*, in *La Vie spirituelle*, XV (1927), p. 704-742; V.-M. Breton, *La pensée franciscaine*, in *La France franciscaine*, VII (1924), p. 5-37, et *Le Christ de l'âme franciscaine*, Paris 1927.

Incipit meditatio pauperis in solitudine.

Ego vir videns paupertatem meam. Thren. 3, 1.

Admirabilis nobis et superadmirabilis domina paupertas proponitur, ad quam contuendam non omnes possunt ascendere, sed qui '*vir*' est, non scilicet qui puer est sensibus, cui lacte opus sit, sed qui virtuosus factus iam vesci possit solido cibo. *Omnis enim qui lactis est particeps expers est sermonis iustitiae: parvulus enim est; perfectorum autem est solidus cibus, qui ad discretionem boni et mali exercitatos obtinent sensus,* ut Paulus ait[a], Hebr. 5, 13-14. *Ab ubere* enim *avulsum,* qui *super aspidis foramina delectatur,* oportet esse et *ablactatum,* qui *in cavernas reguli manum mittere* debet. Quod vere facit professor evangelicae paupertatis,

[a] B om.

qui *terram scientia Domini replet*, ut dicitur Isai. 11, 8-9. Nemo enim ad perfectionem venire potest nisi cum *evacuabitur quod ex parte est*, ut ait Paulus, I Cor. 13, 10. Unde et ipse, cum factus esset evangelicus praedicator, ait quod ibi sequitur statim: *Cum essem*, inquit, *parvulus, loquebar ut parvulus, sapiebam ut parvulus, cogitabam ut parvulus ; quando autem factus sum vir, evacuavi quae erant parvuli. Quem* enim *docebit* Dominus *scientiam* evangelicam *et quem intelligere faciet* propheticum *auditum ?* nonne *ablactatos a lacte* ac *ab uberibus avulsos ?* ut dicitur Isai. 28, 9. Tales enim non debent esse *parvuli fluctuantes* ut *circumferantur omni vento doctrinae*, ut dicit Apostolus, Ephes. 4, 14.

* *Af.61b* Nec etiam omnes tales ipsam apprehendere * possunt, sed ipse singulariter, ut asserit Ieremias propheta mirificus: '*Ego*', inquit, quasi non alius. Propterea non est credendum quod 'videre' ibi pro corporeo sensu sumatur, quia hoc singulare non esset: nam omnes qui corporeo sensu [a] utuntur, utpote *sapientes et insipientes, homines* scilicet *et iumenta* [1], hanc videre valerent; sed '*videns*', hoc est intelligens. Unde et *vir*, qui secundum Apostolum, I Cor. 11, 3, *caput* est *mulieris*, et [b] verticem corporis significat,

[a] B *sensu corporeo*. [b] A om.

[1] Cf. II Cor. 11, 19 et Ps. 35, 8.

qui inhaeret « contemplandis aeternis », ut dicit Augustinus, XII *De Trinitate* [1], hic vere paupertatem agnoscens *caput non velat,* * quia *imago est et gloria Dei;* qui utique caelestia contemplans *quae sursum sunt quaerit, quae sursum sunt sapit, non quae super terram* [2]. Qui autem gloriam diligit mundi, imaginem utique Caesaris portans, Christi paupertatem sine dubio intelligere non valet, quia caput habet velatum. *Bf. 1b

Quod autem sit hoc caput, audi Apostolum ibidem [3]: *Caput,* inquit, *viri Christus est. Altissima* enim *paupertas* quae *in divitiis simplicitatis abundat,* ut dicitur II Cor. 8, 2, nonnisi mentis perspicaci contuitu videri potest. Nonne tibi videtur altissima, quae hominem facit beatum? *Beati,* inquit Dominus, *pauperes spiritu,* Matt. 5, 3; immo et beatus est qui eam intelligit, Psalmista testante [4], qui ait: *Beatus qui intelligit super egenum et pauperem,* id est super Christum, qui vere est nostra paupertas, ut Paulus ait, II Cor. 8, 9: *Scitis,* inquit, *gratiam Domini nostri Iesu Christi, quoniam propter vos* [a] *egenus factus est, cum esset dives, ut illius inopia vos divites essetis.*

---

[a] B *nos.*

---

[1] Num. 4, 12, 21, 22, 25 et XIII, n. 1 (PL 42, 1000, 1094, 1009, 1012 sq.). [2] I Cor. 11, 7 et Col. 3, 1-2. [3] I Cor. 11, 3. [4] Ps. 40, 2.

Hanc ergo nostram '*paupertatem*' sic summam, sic venerabilem, se intelligere ac contemplari in praedicto verbo Ieremias propheta gloriatur: quia hanc in se intelligere non modica, immo maxima sapientia est; unde et lit-
* *Af. 61* tera huic * versui praeposita est Aleph, quae interpretatur '*doctrina*' [1]. Haec est enim [a] doctrina praecipua omnium, haec est prima philosophia, haec est theologia summa, Christi scilicet perfectionem, quae maxime in paupertate fundatur, in se intelligere ac habere. Propterea dicit '*meam*', hoc est, in me scilicet hanc video. Quid enim prodest si Christum propter te pauperem fuisse intelligas, nisi in te ipsam eius paupertatem videas, ut et tu pro eo pauper similiter fias?

Hanc propterea beatus pater Franciscus toto mentis contuitu intelligere studuit, toto affectu amplexari concupivit, toto conamine ac studiosissimo effectu in se habere voluit; hanc in sua Regula fundamentum altissimum stravit, hanc suis sequacibus servandam proposuit, hanc suis posteris hereditario iure ut possessionem perpetuam dereliquit. Quae quamvis diversos habeat gradus supra quos etiam diversi Ordines sunt fundati, ipse tamen eam in summo ac perfectissimo gradu assumpsit.

[a] A om.

[1] Cf. Hieronymus, *Epist.* XXX, n. 5 (PL 22, 443) et *De nominibus hebraicis*, n. 71 (PL 23, 827).

Quomodo Christus in sua passione ostendit summum gradum paupertatis [a].

Quem gradum Christus in omnibus virtutibus tempore passionis ostendit, quando scilicet *dextera Domini exaltata fecit virtutem* [1]. * Nam* *Bf.1c*
si secundum Apostolum, II Cor. 12, 9, *virtus* maxime *in infirmitate perficitur,* Christus autem in cruce levatus maxime suam infirmitatem ostendit, ubi *reputatus* est *quasi leprosus percussus a Deo et humiliatus,* ubi et ipse a Deo suo se derelictum voce proclamat [2]; vere tunc omnes virtutes consummans dixit: *Consummatum est.* Unde Ioan. 19, 28-30: *Sciens Iesus quia omnia consummata sunt, dixit: Sitio,* et: *Cum accepisset acetum, dixit: Consummatum est, et inclinato capite tradidit spiritum.* Propter quod et Thau, ultima littera Hebraeorum, quae et crucis Christi pro-*fert figuram [3], totius conti-* *Af.61d*
nentiae Veteris Testamenti impletionem significat: nam libri Veteris Testamenti, qui in Canone continentur, secundum numerum litterarum apud Hebraeos multiplicantur, ut dicit Hieronymus, *In Ezech.* III, c. 9, v. 4 (PL 25, 88).

[a] A B om. *Quomodo... paupertatis.*

[1] Cf. Ps. 117, 16. [2] Isai. 53, 4 et Matt. 27, 46. [3] Cf. Hieronymus, *In Ezech.* III, c. 9, v. 4 (PL 25, 88).

mus in *Prologo galeato*[1]. Thau ergo ultima littera consummationem omnium, *quae scripta sunt in Lege et Prophetis et Psalmis*[2] de Christo, in figura crucis ostendit. Unde et Thau interpretatur '*consummatio*': nam in ipsa cruce *Christus*, qui est *finis Legis ad iustitiam omni credenti*, ut dicitur Rom. 10, 4, omnia consummavit, sicut ipse post resurrectionem incredulos discipulos arguens, Luc. 24, 25-27, ait: *O stulti et tardi corde ad credendum in omnibus quae locuti sunt prophetae! nonne haec oportuit pati Christum et ita intrare in gloriam suam? Et incipiens a Moyse et omnibus prophetis interpretabatur illis in omnibus Scripturis quae de ipso*[a] *erant*, ut vere ostenderet in sua passione omnia consummari debere.

Propter quod et dies illa passionis Christi *dies virtutis* eius dicta est, dicente David[3]: *Tecum principium in die virtutis tuae;* hoc est dicere: licet a Deo te derelictum clamares, licet in manus Patris spiritum commendares, divinitas quae principium omnium est, Pater etiam, qui principium est ipsius deitatis, tecum erat nec te derelinquere poterat, quia semper Pater in Filio et Filius in Patre permanet. Unde sequitur: *Ex utero ante luciferum genui te.* Vox

[a] B add. *scripta.*

[1] Qui ponitur in principio bibliae Vulgatae. [2] Luc. 24, 44. [3] Ps. 109, 3.

est Patris ad Filium: *Ex utero,* id est de sua natura, de sua substantia, de suis visceribus, de medullis divinitatis suae. Ita exponit Hieronymus, *Super * Psalmos* [1]. Tu autem hoc* *Bf. 1d*
sane intellige, ne libello damnato abbatis Ioachim favere videaris [2]. Ubi addit Hieronymus: « Christus quasi de humano loquebatur af-*fectu, non quasi imbecillis rogabat; secum* *Af. 62a*
enim erat principium, secum erat divinitas; sed propterea deprecabatur auxilium, ut accepto auxilium sanctis suis daret et ipsi eo splenderent ». Haec Hieronymus. Et hoc est quod dicitur *in splendoribus Sanctorum.* Christi enim crucifixio vere splendor virtutis Sanctorum est. Unde Habac. 3, 4, dicitur: *Splendor eius ut lux erit,* lux scilicet *omnem illuminans hominem* [3]. Quando? Audi quod sequitur: *Cornua in manibus eius, ibi abscondita est fortitudo eius. Cornua* autem *in manibus* Christi non sunt nisi brachia crucis eius, ubi *fortitudo eius abscondita* omnes sanctos facit virtutibus resplendere. Propter quod in [a] antiphona de cruce cantat Ecclesia [4]:

O crux splendidior
cunctis astris mundi!

[a] B *et in.*

[1] *Tract. de Ps. CVIIII (Anecdota Maredsolana,* III, 199). Cf. *Breviar. in Psalm.* Ps. CIX (PL 26, 1164). [2] Cf. H. Denzinger, *Enchiridion,* nn. 431 et 432. [3] Ioan. 1, 9. [4] In festo de inventione S. Crucis, Antiph. ad Magnificat in primis Vesperis.

Tempore enim quo Dominus in carne vivebat, licet ut *colonus* esset *in terra et quasi viator declinans ad manendum,* ut dicitur Ierem. 14, 8, nec etiam, ut ipse testatur, Matt. 8, 20, domicilium proprium *ubi caput reclinaret* haberet, quia quamvis *in propria venerit, sui* tamen *eum non receperunt*[1]: « Domum enim minime habuit nec unus palmus arabilis terrae erat illi, non [a] germen vineae, non [b] tunica superflua, sed qua induebatur solum, et sicut unus pauperum de turba secundum omnia conversatus est », ut dicit Damascenus in libro *De philoretis*[2]; omnibus tamen omnino carere non potuit: nam et vestimenta habuit quae sibi mater sua fecerat, et loculos etiam quibus ad necessitatem pro tempore utebatur debilium formam gerens ut infirmorum « semitas non damnaret », sicut et aliquando in fuga ostendit[3]. Tempore autem passionis, tunc omnibus expoliatus atque nudatus, omnino nihil habuit. Nam, ut evangelica
* *Af. 62b* testatur historia[4], mi-*lites qui eum crucifixerunt eius vestimenta tollentes inter se diviserunt super tunicam inconsutilem sortem mitten-

[a] B *nec.* [b] B *nec.*

[1] Ioan. 1. 11; [2] Haec leguntur in sermone de Philocosmis, i. e. amatoribus mundi, et Philotheis, i. e. amatoribus Dei, cap. 3 (PG 94, 492). [3] Quasi ad verbum ex Bulla *Exiit,* § 2, n. 2. Cf. infra, pag. 14, nota 1. [4] Cf. Ioan. 19, 23-24.

tes, quam suis manibus beata Virgo texuerat, eam dividere non audentes, quae vinculum caritatis ac fidei unitatem [a] significat, quae in sola beata Virgine tunc remansit. Nihil igitur Christus in cruce habuit nisi solum quod ex corpore matris assumpsit; * propter quod et vere* Bf. 2a tunc dixit: *Mulier, ecce filius tuus,* Ioan. 19, 26.

Et hanc paupertatem Christus nobis voluit [b] commendare praecipue; unde Thren. 3, 19 ait: *Recordare paupertatis et transgressionis meae, absinthii et fellis,* hoc est paupertatis quam habui quando factus sum transgressio, id est peccatum et maledictum pro vobis, tempore scilicet amarae passionis, quam significat in absinthio et felle. Unde, Gal. 3, 13, dicitur: *Christus nos redemit de maledicto Legis factus pro nobis maledictus, quia scriptum est: Maledictus omnis qui pendet in ligno; eum* enim, *qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit* Deus Pater, *ut nos efficeremur iustitia Dei in ipso,* ait Apostolus, II Cor. 5, 21. — Littera autem illi versui praeposita est Zai, quae interpretatur '*duc te huc*', id est usque ad istum gradum venias paupertatis, si vis esse perfectus et Christum imitari ac sibi assimilari perfecte.

Attende etiam quod dicitur Act. 8. 29: *Spiritus* ait *Philippo: Accede; iunge te,* inquit, *ad cur-*

---

[a] A *veritatem.* [b] B *voluit nobis.*

rum istum. Philippus autem interpretatur *'os lampadis'*. Ista est *lampas ignis atque flammarum,* fortis scilicet ac fervens Christi dilectio, quam *aquae multae* etiam tribulationis *non possunt extinguere nec flumina* persecutionis *obruere,* quia *fortis est ut mors dilectio,* pro qua *omnem substantiam* suam quis pro *nihilo despicit,* ut
* *Af.62c* dicitur Cant. 8, 6. Hic est *ignis* ille fervidae * aemulationis, qui, ut dicitur Prov. 30, 16, *nunquam dicit*: *Sufficit,* quousque veniat ad perfectum et ultimum finem, quia *dura ut infernus aemulatio.*

Quis ergo est currus iste, ad quem iste Philippus pervenire ac se iungere iubetur a Spiritu quasi ad suam sufficientiam, quasi ad suam perfectionem? Forte iste est *currus* ille *igneus* quo vectus Helias pallium in quo tegebatur reiecit, ut dicitur IV Reg. 2, 11-13. Verum in isto curru legitur quomodo Christus *tamquam ovis ad occisionem ductus est et sicut agnus coram tondente se, sine voce, sic non aperuit os suum,* ut sequitur ibi, Act. 8, 32. Ego autem hic alium currum intelligere non possum nisi quadrigam illam Domini, crucem scilicet Iesu Christi, ubi ipse tamquam ovis immolatus est et tamquam agnus tonsus atque nudatus. Iste est *currus gloriae* Domini et *ignominiae domus Domini,* ut dicitur Isai. 22, 18, quia *verbum crucis pereuntibus quidem stultitia est*[a], *his autem qui salvi fiunt,*

[a] A om.

id est nobis, virtus Dei est, I Cor. 1, 18; quia ut Paulus ibidem ait[a]: *Nos praedicamus Christum crucifixum, Iudaeis quidem scandalum, Gentibus autem stultitiam, ipsis autem vocatis Iudaeis atque Graecis Christum Dei virtutem et Dei sapientiam.* Vides ergo recte * quod non est aliud* *Bf. 2b* currus gloriae et ignominiae Domini quam crux ipsa Iesu Christi; ibi enim scriptum est, ibi legitur: *Iesus Nazarenus rex Iudaeorum*[1].

Iste est currus ille, de quo dicitur III Reg. 22, 35: *Rex Israel stabat in curru suo contra Syros et,* vulneratus a sagittariis, *mortuus est vespere.* Dominus ergo Iesus rex noster stat in cruce sua et contra daemones, ubi vulneratus est a sagittariis, ab ipsis scilicet Iudaeis, qui *exacuerunt ut gladium linguas suas, intenderunt arcum rem amaram ut sagittent in occultis immaculatum; infirmatae sunt contra eos * linguae eorum,* *Af. 62d* *sagittaverunt eum et non timuerunt, firmaverunt sibi sermonem nequam,* clamantes: *Crucifige, crucifige*[2]. Unde Ierem. 9, 8, dicitur: *Sagitta vulnerantis lingua eorum dolum locuta est. Et mortuus est vespere*[3], id est advesperascente iam mundo vel quia eo[b] moriente *sol obscuratus est*[4] et facta est vespera; unde in II Paral. 18,

[a] B *dicit.* [b] A *ego.*

[1] Ioan. 19, 19. [2] Ps. 63, 4, 9, 5; Luc. 23, 21. [3] III Reg. 22, 35. [4] Luc. 23, 45.

34 dicitur de eodem quod *mortuus est occidente sole*.

Ad hunc ergo currum, crucem scilicet dominicam, iubetur Philippus pertingere, si vult esse perfectus ac virtutibus consummatus. Unde Augustinus, in quodam *Sermone*[1]: « Nihil Christus habere voluit, et totum habet qui usque ad crucem pro eo pervenit, cuius nudi ac pendentis ossa ab insultantibus numerata sunt ». Haec Augustinus. Et Hieronymus, in *Epistola ad Heliodorum*[2]: « Perfectus servus Christi[a] nihil praeter Christum habet aut, si praeter Christum habet, perfectus non est ». Haec Hieronymus. Nusquam enim alibi legitur quomodo Christus *tamquam ovis* occisus est et quasi *agnus coram tendente se* obmutuit quam in dominica cruce, ubi *Agnus Dei qui tollit peccata mundi*, oblatus quia ipse voluit, *os suum non aperuit*[3]: nam a suis crucifixoribus expoliatus atque nudatus facto non restitit nec verbo etiam contradixit, ut ostenderet paupertatem summam communiter debere habere patientiam veram.

Tu ergo, qui hoc in cruce Domini legis per fidem credendo, facto studeas imitari, alioquin tibi dicetur quod et ipse Philippus illi eunucho

[a] B *Christi servus*.

[1] Non inveni ubi. [2] Epist. 14, n. 6 (PL 22, 351).
[3] Act. 8, 32; Ioan. 1, 29.

ait, Act. 8, 30: *Putasne intelligis quae legis?* Sunt enim hodie plures qui hanc paupertatem in Domini cruce legentes ac de sua scientia et religione praesumentes eam se perfecte intelligere gloriantur, quam nequaquam intelligere veraciter ipsi se ostendunt, cum nec ipsam summam paupertatem habere vel imitari volunt et, quod multo eis periculosius est, hanc imitantibus ac ipsam ample-*xari perfecte cupientibus caninis* *Af.63a* latratibus detrahunt. * *Corvini* enim *generis* ani- *Bf.2c* malia sunt, quae Domini lege prohibentur, Levit. 11, 15, quia immunda sunt omnisque affectionis expertia[a]. Quod manifestum est ex eo quod primum corvus ex Noe arca emissus, in exterioribus occupatus, in eam ultra non rediit[1]; cui similis extitit Iudas contra suum magistrum et dominum, qui, cum 'apostolus Domini' nomine diceretur, *abundantius aemulator*[2] extitit pauperum, non quod *de egenis pertineret ad eum, sed quia fur erat et loculos habens,* ut dicitur Ioan. 12, 6. Propter quod et horum rabidos[b] morsus sacrosancta romana Ecclesia, cui cura specialis est pauperum Christi, sustinere non valens, eorum ora durissimo excommunicationis freno ligavit, sicut luculenter apparet in Decretali domini Nicolai papae III nuper

[a] AB *experta.* [b] A *rapidos.*

[1] Gen. 8, 7. [2] Gal. 1, 14.

edita super Regula [a] vere pauperum Christi, fratrum Minorum [1].

Nam et Cham in filiis suis Noe patris sui maledictionem accepit, quia nuditatem eius irrisit, quam eius frater minor reverenter obtexit, ut dicitur Gen. 9, 23. Ipse autem Cham maledici non potuit, quia erat a Domino benedictus: *benedixerat* enim *Deus Noe et filiis eius* [2]; non enim fuisset ausus Noe maledicere cui Dominus non maledixit. Noe autem iste solus *iustus atque perfectus* [3] Christus est. Noe enim '*requies*' interpretatur, eo quod pater eius in sui [b] nativitate dixerit, Gen. 5, 29, secundum LXX: *Hic requiem dabit nobis a laboribus nostris*, ubi secundum litteram nostram est: *Hic consolabitur nos ab operibus et laboribus manuum nostrarum.* Nequaquam autem ille Noe consolationem sive requiem dedit, cuius temporibus Dei ira super humanum genus diluvii inundatione desaeviit, qui etiam [c] arcam illam construxit *per quam mundum damnavit,* ut dicitur Hebr. 11, 7. Sed
* *Af. 63b* hic est verus Noe, * qui ait, Matt. 11, 28-29: *Venite ad me, omnes qui laboratis et onerati estis,*

[a] B *regulam.* [b] B *sua.* [c] A om.

[1] Cf. Bonifacius VIII, *Sextus,* V, tit. 12, c. 3; *Seraph. legislat. textus originales,* Quaracchi 1897, p. 181-227. Haec Nicolai III Decretalis *Exiit* data est XVIII kal. sept. a. II (15 aug. 1279). [2] Gen. 9, 1. [3] Gen. 6, 9.

et ego reficiam vos: tollite iugum meum super vos et discite a me, quia mitis sum et humilis corde et invenietis requiem animabus vestris; iste, inquam, Iesus verus salvator, qui *salvum facit populum a peccatis eorum* [1], consecratum scilicet sui lateris cataclismo. Hic est Noe ille qui *inventus est perfectus* et *iustus et in tempore iracundiae factus est reconciliatio,* ut dicitur Eccli. 44, 17; qui ex vinea Soreth, domo scilicet Israel, quam ipse plantaverat, passionis calicem sibi a Patre propinatum *bibens inebriatus est* et in Calvariae mon-*te *denudatus* [2], ubi et crucis igno-* *Bf. 2d*
minia apparuit, quam qui irriserit maledicto sine dubio subiacebit.

Non enim poterat humana avaritia quae iam fere totum impleverat mundum, qua scilicet quilibet sua retinebat, aliena si poterat rapiebat et si non poterat corde desiderabat, melius aboleri quam ut is qui dives in omnibus, cui omnia sunt quae *in caelo sursum et in terra deorsum* [3], quorum omnium ipse possessor, gubernator et auctor est, humanam infirmitatem assumens pauperior omnibus fieret ac ipsam paupertatem verbo praedicaret et exemplo perfectissimo confirmaret. Omnibus enim ab ipso vocatis et eum sequi volentibus hanc ut fundamentum perfectionis et arrham regni caelestis

[1] Matt. 1, 21. [2] Gen. 9, 21. [3] Cf. Act. 2, 19.

primo proponit, Matt. 19, 21: *Si,* inquit, *vis esse perfectus, vade et vende omnia quae habes et da pauperibus et veni, sequere me, et habebis thesaurum in caelo.* Ipsis etiam Apostolis eum sequentibus, qui omnia iam reliquerant, perfectissimum ex ea fructum promittit non quidem tricesimum, sed nec sexagesimum, immo centesimum, et super haec vitam aeternam: *Vos,*
* *Af. 63c* inquit, *qui reliquistis * omnia et secuti estis me, centuplum accipietis et vitam aeternam possidebitis* [1]. Nam si « calida frigidis et [a] frigida calidis arte medicinae curantur », non poterat melius humana avaritia curari quam ut, qui aliena desiderabat, non solum aliena non tolleret, sed sua etiam [b] largiretur, ut Gregorius ait in *Homilia* super Evangelium Lucae: *Si quis vult post me venire, abneget semetipsum* [2].

Sic ergo oportet ut secundum Domini consilium, Matt. 6, 20, thesaurum nostrum in caelo collocantes *ubi neque aerugo neque tinea demolitur et ubi fures non effodiunt nec furantur, imaginem caelestis* hominis, secundi Adam, scilicet Christi, ut ait Apostolus I Cor. 15, 49, in nobis *portemus,* ne si *imaginem terreni* ac veteris hominis, primi Adam, quae in auro et ar-

[a] B om. [b] B *etiam sua.*

[1] Cf. Matt. 13, 8; 19, 27-29. [2] Hom. 32, n. 1 (PL 76, 1232 sq.).

gento sive in[a] nummo impressa est, portaverimus, iubeamur in die iudicii non Deo, sed Caesari reddi: *qualis enim caelestis, tales et caelestes, et qualis terrenus, tales et terreni,* ut ibi[b] prosequitur Paulus. Quis enim desiderat divitias possidere, quas videt Dominum et Deum[c] suum aspernari[d]? quis audet divitias appetere, quas audit Deum ac[e] Dominum suum prohibere? Immo quis servorum nisi nequam fuerit divitias non abiciat, quas Deus et Dominus suus verbo et facto condemnat? Credo quod nonnisi qui cum divite epulone *recipere* vellet *bona in vita* * sua ut post mortem nonnisi infernum se- *Bf. 3a
pulcrum[f] haberet, ut vere de eo[g] dicatur: *Mortuus est dives et sepultus est*[h] *in inferno,* ubi nec aquae gutta refrigerari[i] valebit[1].

Quomodo summum gradum paupertatis Christi beatus Franciscus assumere voluit[k].

In hoc ergo gradu summo quo fuit in Christo tempore passionis, ut ostensum est, * beatus * *Af. 63d*
Franciscus suam paupertatem assumere[l] vo-

[a] B *et* pro *sive in.* [b] B *ubi.* [c] B *Deum et Dominum.* [d] AB *aspernare.* [e] B *Deum ac.* [f] B om. [g] B *de eo vere.* [h] B om. [i] B *gutte refrigerium habere* pro *g. r.* [k] AB om. *Quomodo... voluit.* [l] B *assumere suam paupertatem* pro *s. p. a.*

[1] Luc. 16, 22, 25.

luit, ut omnino nihil haberet. Nihil enim prorsus in suo Ordine voluit possideri nec in singulari nec etiam in communi, non domum, non locum, non aliquam rem omnino, nec etiam vestimenta quae sua essent. Unde ipse, cum Ordinem incepit, hereditati paternae renuntians coram episcopo civitatis omnia sui corporis tegumenta reiecit ac perfecte coram adstantibus ut ebrius spiritu nudari non horruit, Illius memor qui pro nobis nudus in cruce pependit: « Amodo, inquit, secure dicere potero: *Pater noster qui es in caelis* [1] ». Nam si filius imago vera est patris, vere iste imaginem caelestis assumpsit, qui *veterem hominem cum actibus suis* omnino *exspolians,* patre terreno cum ipsis terrenis relicto, Christum crucifixum *novum* hominem *induens* [2] Patri spirituum, qui in caelis est, totaliter se commisit, attendens praedictum verbum quod dicitur Thren. 3, 19: *Recordare paupertatis* etc., ubi statim sequitur sub eadem Zai: *Memoria memor ero et tabescet in me anima mea, haec recolens in corde meo in Deo sperabo.*

Haec est enim illa *pretiosa margarita,* pro qua felix mercator, ut eam sibi conquireret, *omnia quae habuit* dedit [3]; hic est ille evangelicus ager, in quo caelestium contemplator ab-

[1] S. Bonav., *Leg. mai.,* II, 4. [2] Col. 3, 9-10. [3] Matt. 13, 46.

sconditum thesaurum reperiens, eius desiderio tractus cuncta reliquit ut eum sibi posset mercari, secundum quod dicitur Matt. 13, 44. Unde Prov. ultimo, 16, sub eadem littera Zai, dicitur: *Consideravit agrum et emit illum.* Et propterea hanc paupertatem suis fratribus commendans in Regula, ait: « *Vadant*, inquit, *fratres pro eleemosyna confidenter; nec oportet eos verecundari, quia Dominus pro nobis se fecit pauperem in hoc* * *mundo; haec est illa celsitudo altissimae pau-* *Af.64a*
pertatis, quae vos carissimos fratres meos heredes et reges regni caelorum instituit, pauperes rebus fecit, virtutibus sublimavit; haec sit portio * *vestra quae perducit in terram viventium,* *Bf.3b*
cui, dilectissimi fratres, totaliter[a] *inhaerentes nihil aliud pro nomine Domini nostri Iesu Christi in perpetuum sub caelo habere velitis* ». In his huius sanctae Regulae verbis, si bene consideras, omnia supra dicta veraciter includuntur.

Pecuniam etiam in loculis noluit in suo Ordine contrectari nec recipi ullo[b] modo. Sicut etiam ipsi Apostoli, cum facti essent perfecti ac Spiritu Sancto repleti, pecuniam manibus minime contrectarunt, sed *ante pedes* eorum *ponebatur* ad usum pauperum, ut dicitur Act. 4, 35; et ipse Petrus[c] vere respondit eleemosynam petenti dicens: *Argentum et aurum non est mihi,*

---

[a] B om. [b] B *nullo.* [c] B om.

ut dicitur Act. 3, 6, ubi Glossa[1] dicit[a] quod hoc dixit Petrus memor illius praecepti Domini: *Nolite possidere aurum.* Idem etiam dicit Ambrosius, *Super Lucam*, cap. 10[2]. Et propterea qui aliquid habent ad minus in communi, qui etiam loculis utuntur vel pecuniam contrectant, merito non possunt inter apostolicos pauperes et perfectos de perfectionis[b] apice nisi solo nomine gloriari. Nec est[c] tamen praetereundum silentio, quia nec[d] mysterio vacat, quod solus ille de Apostolis periit, Iudas scilicet, qui Dominum tradidit, qui loculorum baiulus fuit. Dicitur enim Ioan. 12, 6: *Iudas fur erat et loculos habens ea quae mittebantur portabat.* Cuius etiam avaritia in tantum praevaluit, ut corde totaliter excaecatus ipsum suum Dominum et magistrum vendere non formidavit.

Quomodo Christus in sua passione ostendit summum gradum caritatis[e].

Ostendit etiam[f] Christus in sua passione gra-
*Af. 64b dum summum caritatis. Nam si *maiorem* * *hac*

[a] B *dicit Glossa.* [b] A om. *de perfectionis.* [c] B add. *etiam.* [d] B *nec a.* [e] A *De caritate* pro *Quomodo... caritatis.* [f] B *autem.*

[1] *Ordinaria*, in h. l. (PL 114, 434). [2] Lib. VII, n. 55 (PL 15, 1713).

dilectionem nemo habet ut animam suam ponat quis pro amicis suis, ut dicitur Ioan. 15, 13, multo tamen, immo incomparabiliter excelsiorem[a] habuit caritatem, qui non pro amicis, immo inimicis, ac pro ipsis suis crucifixoribus, Dominus scilicet maiestatis pro servis omnino ingratis, animam suam ponere voluit. Unde I Ioan. 4, 10: *In hoc est caritas Dei, non quasi nos dilexerimus, eum, sed quoniam ipse prior dilexit nos et misit Filium suum propitiationem pro peccatis nostris;* et Paulus ait, Ephes. 2, 4: *Deus autem qui dives est in misericordia propter nimiam caritatem suam qua dilexit nos, cum essemus mortui peccatis, convivificavit nos in*[b] *Christo, cuius gratia salvati estis.* Hugo etiam, in libro *De arrha sponsae*[1], dicit: « Ut ostenderet tibi quantum te Christus[c] diligeret, nonnisi moriendo a morte * te liberavit, ut non tantum* *Bf. 3c* pietatis impenderet beneficium, verum etiam caritatis monstraret affectum ». Haec Hugo.

Propter quod et ipse Christus *in medio terrae* per suam passionem nostram *salutem est operatus*[2], ut aequaliter, sine delectu, per totum mundum ad omnes universaliter homines perveniret, sicut postmodum per *mundum univer-*

[a] B *excellentiorem.* [b] B om. [c] B *Christus te.*

[1] PL 176, 962. [2] Ps. 73, 12,

sum mittens discipulos suos ait: *Ite et docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti: qui crediderit et baptizatus fuerit salvus erit,* Marc. ultimo, 15-16. Manus insuper suas in cruce expandens omnes ad se trahere et amplexari velle ostendit, sicut ipse praedixerat, Ioan. 12, 32-33, *significans qua morte esset moriturus: Cum exaltatus,* inquit, *fuero a terra, omnia traham ad me ipsum,* et Isai. 65, 1-2 ait: *Tota die expandi manus meas*
' *Af. 64c* *ad populum incredu-*lum qui graditur via non bona, ad gentes quae nesciebant me et nomen meum non invocabant.*

Non enim poterat genus humanum Deo per peccatum primorum parentum inimicum factum in Dei amicitiam restaurari nisi per summum dilectionis actum, qui scilicet actus Deo summe carus ac [a] gratus esset. Et ideo hunc actum nullus poterat exhibere nisi qui summo amore Deo dilectus esset; a Deo autem non potest summe esse dilectus nisi qui summe Deum diligit; nullus autem Deum summe diligere potest nisi qui summe Deum cognoscit; Deus autem summe cognosci non potest nisi a seipso, cum ipse solum [b] sit infinitus atque immensus. Et propterea qui hunc caritatis actum exhibuit, necesse fuit Deum esse.

---

[a] B *et.* [b] B *solus.*

Non tamen intelligas Deum mortuum esse vel passum nisi in carne: homo enim per se mori poterat, sed cum esset merito primi peccati morti obnoxius, eius mors Deo accepta vel grata non erat; Filius autem Dei summe Deo Patri acceptus et gratus erat, sed cum sit impassibilis et aeternus, mori non poterat. Ac per hoc necesse fuit Deum esse et hominem, qui mori posset cuiusque mors summe Deo acceptabilis et grata [a] esset. Homo enim per se divinae iustitiae satisfacere tenebatur, sed non poterat; Dei autem Filius poterat quidem, sed non debebat. Et ideo necesse fuit ut *iustitia et pax* simul se *osculārentur* et *misericordia et veritas* in eodem sibi invicem *obviarent,* cum *veritas de terra orta est et iustitia de caelo prospexit* [1]. Huiusmodi osculum sponsa ardentissime se desiderare ostendit, cum suo dilecto cantare incipiens in haec verba prorupit: *Osculetur me osculo oris sui* [2]. *Sic enim Deus dilexit mundum ut Filium * suum unigenitum daret, ut omnis qui credit in illum non pereat, sed habeat vitam aeternam* [b], ut dicitur Ioan. 3, 16. *Iste est enim pax * nostra, qui fecit utraque unum et medium parietem maceriae solvens inimicitias in carne sua, legem mandatorum*

*A f. 64d

*B f. 3d

[a] B *grata et acceptabilis.* [b] B om.

[1] Ps. 84, 11-12. [2] Cant. 1, 1.

decretis evacuans, ut duos condat in semetipso in unum novum hominem faciens pacem et reconcilians ambos in uno corpore Deo per crucem, interficiens inimicitias in semetipso, ut dicit Apostolus, Ephes. 2, 14-16. Sed quia, ut ait Psalmista [1], *stultus non intelliget haec,* digne *stulti et tardi corde* a Domino dicti sunt, qui non credunt sic debuisse *Christum* [a] *pati et ita intrare in gloriam suam,* ut dicitur Luc. ultimo, 25-26. Vere enim nesciunt quidquam, qui non cogitant sic fuisse expediens *ut unus moreretur homo pro populo* ne *gens* universa *periret,* sicut ait Caiphas sacerdotum princeps, facto in se spiritu prophetiae, ut dicitur Ioan. 11, 50-51.

Christus ergo, Deus et homo, filius Dei ac filius hominis, vere passus ac mortuus secundum humanitatem, impassibilis tamen et immortalis permanens secundum divinitatem. Iste est Isaac carissimus filius, quem Abraham pater excelsus immolare volebat, pro quo aries qui Christi humanitatem repraesentat submissus est: Abraham enim componitur ex *aba,* quod est ' pater ', et *ram* quod est ' excelsum '; si autem additur *am,* ut dicatur ' Abraham ', intelligitur ' pater multarum ' et subauditur ' gen-

[a] B *Christum sic debuisse.*

[1] Ps. 91-7.

tium '[1]. In monte ergo illo visionis, ubi ad litteram Christus crucifixus est, *vidit* Abraham *arietem inter vepres haerentem cornibus, quem assumens obtulit holocaustum pro filio*, ut dicitur Gen. 22, 13, et tunc Abraham vidit diem mortis Christi et gavisus est; * unde Dominus ait Iu- *Af. 65a
daeis, Ioan. 8, 56: *Abraham pater vester exultavit ut videret diem meum, vidit et gavisus est.* Et aries ille recte inventus est in loco ubi Christus crucifixus est. Et dicitur quod *haerebat cornibus,* nec tamen dicitur cui haerebat; et ideo oportet dici quod haerebat non cornibus suis, sed haerebat [a] alteri, cornibus scilicet crucis, ita quod *cornibus* sit ibi casus dativi, non ablativi. Unde Augustinus, *83 Quaest.*, 58, dicit[2]: « Isaac immolandus ducitur et aries pro illo in sentibus tamquam crucifixus agnoscitur ». Haec Augustinus [b]. Origenes etiam dicit, *Homilia 8 super Genesim*[3], quod secundum LXX aries ille suspensus erat cornibus in arbore Sabech. Christus enim ad crucis cornua clavorum confixione suspensus est; Habac. 3, 4-5: *Cornua in manibus eius, ibi abscondita est fortitudo eius.* Quibus cornibus *inimicos nostros*

[a] A om. *et ideo... haerebat.* [b] A om. *Unde... Augustinus.*

[1] Cf. Hieronymus, *Lib. hebr. quaest. in Genesim* (PL 23, 963). [2] Num. 2 (PL 40, 42). [3] Num. 9 (PG 12, 208 sq.).

ventilare ac *in* Crucifixi *nomine* omnes *in nos insurgentes spernere,* David teste [1], valebimus. Unde sequitur [2]: *Ante faciem eius ibit mors, egredietur diabolus ante pedes eius*; quia hoc est *cornu* illud *salutis* quod Dominus *erexit nobis,* cum *per viscera misericordiae* suae *visitavit nos* * *Bf. 4a* et *fecit redemptionem plebis suae,* ut * Zacharias prophetat, Luc. 1, 68-69. Sabech autem secundum Origenem [3] interpretatur '*remissio*', quia Christus in cruce satisfaciens omnibus remissionem invenit: tunc enim nobis *omnia delicta donavit delens quod adversum nos erat chirographum decreti quod erat contrarium nobis et ipsum tulit de medio affigens illud cruci,* ut dicit Apostolus, Col. 2, 13-14.

Ipse ergo Christus utriusque formam habet: arietis qui immolatur et Isaac qui liberatur, quia ipse est hostia et sacerdos, sacrificium et pontifex. Ipse enim est *Agnus Dei qui tollit peccata mundi* [4]: ecce aries; ipse etiam *sacerdos* est [a] *in aeternum secundum ordinem Melchisedech* [5]. Unde Ambrosius, libro III *De Trinitate* [6]: « Idem sacerdos, idem hostia et sacrifi-

[a] B *est sacerdos.*

[1] Ps. 43, 6. [2] Habac. 3, 5. [3] Apud Origenem non inveni. Cf. Hieronymus, *Lib. hebr. quaest. in Genesim* (PL 23, 970sq.). [4] Ioan. 1, 29. [5] Hebr. 5, 1. [6] Cap. 11, n. 87 (PL 16, 607).

cium; nam ut agnus ad immo-*landum ductus* est et sacerdos erat secundum ordinem Melchisedech». Haec Ambrosius. *Af. 65b*

Hic est ille Melchisedech rex Salem: Salem autem est, quae postea [a] dicta est Iebus, deinde Ierusalem, ubi *extra portam* Dominus crucifixus est [1], in quo loco et ipse Melchisedech Abrahae occurrit panem et vinum offerens. Unde Gen. 14, 18: *Melchisedech, rex Salem, proferens panem et vinum, erat enim sacerdos Dei altissimi.* In quo vere sacrificium a Christo institutum [b] significavit, ubi Christus vere summus sacerdos est et in oblata hostia veraciter continetur, non secundum ordinem Aaron qui carnes et sanguines offerebat brutorum, sed hic Melchisedech carnem suam, quae *panis vitae* est [2], et sanguinem suum, qui salutis potus est, obtulit. Unde ipse ait, Ioan. 6, 55: *Qui manducat meam carnem et bibit sanguinem meum* [c] *habet vitam aeternam;* quia, ut dicit Apostolus, Hebr. 7, 16, hic sacerdos *factus est non secundum legem mandati carnalis, sed secundum virtutem vitae insolubilis.* Qui utique est *sine patre, sine matre, sine genealogia,* ait Paulus ibidem, 3, quia cum sit

[a] B *postea que.* [b] B *institutum a Christo.* [c] B *meum sanguinem.*

[1] Cf. Hebr. 13, 12. [2] Ioan. 6, 35, 48.

sine patre in terris, sine matre in caelis, eius generatio investigari non potest tam secundum divinitatem quam etiam secundum humanitatem. Propter quod Isaias, 53, 8, ait: *Generationem eius quis enarrabit?* Haec est enim *corrigia* [a] *calceamenti* [1] quod Dominus in Idumaeam extendit, quam praecursor ille [b] mirificus propheta et plus quam propheta, Ioannes Baptista, se asseruit non posse dissolvere, ut dicitur Luc. 3, 16. Hic etiam Melchisedech '*rex iustitiae*' *interpretatur* iuxta Paulum apostolum [2], ubi supra; quod nulli sine dubio potest convenire nisi illi qui ad dexteram Dei Patris existens *in die irae suae reges confringet,* quando *nationes iudicans* an-
Af. 65c gelorum *ruinas implebit* malorum-*que *capita* cruciatu perpetuo *conquassabit* [3], rex simul et sacerdos existens. Ipse ergo qui *semetipsum obtulit immaculatum Deo emundat conscientiam nostram ad operibus mortuis,* ut dicitur Hebr. 9, 14.
Bf. 4b Abraham ergo, idest Pater * excelsus sive Pater omnium, Deus, *proprio Filio suo* unigenito *non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum,* ut dicitur Rom. 8, 32. Et [c] Rom. 5, 6-10, ait Apostolus: *Christus pro impiis mortuus est, vix enim pro iusto quis moritur; commendat au-*

[a] A *corrigiam.* [b] B om. [c] B om. *Rom. 8. Et.*

[1] Ioan. 1. 27. [2] Hebr. 7, 2. [3] Ps. 109, 5-6.

tem Deus caritatem suam in nobis, quoniam scilicet, cum adhuc peccatores essemus, Christus pro nobis mortuus est; multo magis nunc iustificati[a] *in sanguine ipsius salvi erimus ab ira per ipsum: si enim, cum inimici essemus, reconciliati sumus Deo per mortem Filii sui, multo magis reconciliati salvi erimus in vita ipsius.* Haec ibi.

Attende, si non hoc ad litteram gestum est tempore passionis Christi. Nam, ut dicitur Matt. 27, 16, cum Pilatus haberet unum *vinctum insignem qui dicebatur Barabbas,* populo petenti illum illaesum *dimisit, Iesum* vero *tradidit ut crucifigeretur*[1]. Ego autem non puto hoc casu gestum ut solus ille vinctus insignis illaesus abiret, cum plures alii vincti tenerentur, ad minus illi duo qui cum Domino crucifixi sunt. Propter quod additum est quod Barabbas vocaretur. *Barabbas* autem componitur a *bar,* quod est 'filius', et *abba,* quod est 'pater'; unde *Barabbas* per unum *r* est 'filius patris', per duo autem *r* est 'filius magistri', quia componitur a *bar* et *rabbi,* quod est 'magister'[2]. Quis autem est pater et magister omnium, nisi qui *possedit, fecit et creavit* omnia[3]? Christus

[a] A *iustificati nunc.*

[1] Matt. 27-26. [2] Cf. Hieronymus, *Lib. de nomin. hebraicis* (PL 23, 839, 845). [3] Deut. 32, 6.

autem, filius Patris Dei et magistri omnium, idem est et matris Virginis filius: patrem enim
*Af. 65d habens in caelis, in terris * nonnisi matrem quaesivit, de patre natus secundum deitatem, de matre secundum humanitatem, ut unus sit filius Dei et filius hominis, filius Dei Barabbas quia filius Patris, filius hominis Iesus; unde ab angelo dictum est, Matt. 1, 21: *Vocabis nomen eius Iesum, hic erit magnus et filius Altissimi vocabitur,* Luc. 1, 32. Barabbas ergo filius Dei illaesus dimissus est, quando Iesus hominis filius [a] mortuus est — unde Ambrosius, libro I *De Spiritu Sancto* [1]: « Mortuus est Christus secundum carnem; in eo utique mortuus est quod suscepit ex Virgine, non in eo quod habebat ex Patre ». Haec Ambrosius — quia *uno exposito filio et eo liberato,* ut dicitur Sap. 18, 5, populus Dei salvatus est.

Hoc vere significatum est Levit. 16, 5, ubi duo hirci iubentur offerri *pro peccato* populi, quorum unus vivus dimittitur, alter autem in conspectu Domini occiditur, cuius sanguinem summus pontifex intra velum offerre iubetur. Hircus autem ille emissarius *vivus coram Domino* stare debebat [b], ut offerant *super eo preces,* quia

[a] B *filius hominis.* [b] A *debet.*

[1] Cap. 9, n. 106-107 (PL 16, 730).

ipse portare debebat populi peccata in solitudinem [1]; Christo enim secundum divinitatem preces pro peccatis populi offerri debent, quia nemo *potest peccata dimittere nisi solus Deus* [2]. Hircus autem qui immolatur, cuius sanguis *intra velum* offertur, Iesus est filius hominis, qui *per velamen, idest carnem suam* [3], non * *per sangui-* *Bf.4c
nem hircorum aut vitulorum, sed per proprium sanguinem introivit semel in sancta aeterna redemptione inventa [4]: *una enim* sui *oblatione consummavit in aeternum sanctificatos,* ut dicitur Hebr. 10, 14.

Hircus autem, qui in eremum mittebatur, ducebatur *per hominem paratum* [5], qui lavare debebat vestimenta sua ut mundus fieret. Iste autem homo potest intelli-*gi ipse Pilatus, qui cum* *Af.66a
super istos duos sortem mitteret ut illum, cui sors Domino caderet, in eremum duceret, id est suo iudicio dimittendum ostenderet, dixit populo [6]: *Quem vultis dimittam vobis, Barabbam an* Iesum *qui dicitur Christus?* Quomodo autem lavet vestimenta sua ut mundus fiat, audi quod sequitur: *Accepta aqua lavit Pilatus manus suas dicens: Innocens ego sum a sanguine iusti huius, vos videritis,* ut dicitur Matt. 27, 24; et mundus

[1] Levit. 16, 10. [2] Luc. 5, 21. [3] Levit. 16, 15; Hebr. 10, 20. [4] Hebr. 9, 12. [5] Levit. 16, 21 et 4. [6] Matt. 27, 17.

vere fuisset nisi postea consentiens Iudaeis Iesum flagellasset et morti adiudicasset.

Potest etiam per istum hominem paratum vere et ipse Iesus intelligi, qui in terram solitariam sive desertum, id est in ipsum caelum, ipsam divinitatem misit tempore passionis. Desertum enim sive terra solitaria, in qua Apopompeius [a] dimittitur [1], potest et in bono accipi, locus scilicet qui ab hostibus perambulari non potest. Unde David dicit [2]: *In terra deserta, invia et inaquosa, sic in Sancto apparui tibi,* desertum invium sanctum Sanctorum habitaculum intelligens, in quo Deus inhabitat et apparet; unde sequitur: *Ut viderem,* id est videri facerem, *virtutem tuam,* idest virtutem qua Christus moriendo diabolum superavit [b] et genus humanum liberavit, *et gloriam tuam,* scilicet qua resurgendo infernum expoliavit. Ita exponit Hieronymus, *Super Psalmos* [3]. Item in alio psalmo de Christi Iesu passione loquens in persona Filii Dei addit [4]: *Ecce elongavi fugiens et mansi in solitudine.* Hoc est enim vere illud desertum, in quo Filius Dei nonaginta novem oves, omnes

[a] A *Apompopeius,* B *Apompeius.* [b] B *diabolum superavit moriendo.*

[1] Apopompeius, i. e. emissarius, ex gracco αποπομπαιος. [2] Ps. 62, 3. [3] Pseudo-Hieronymus, *Brèviar. in Psalm.* (PL 26, 1001). [4] Ps. 54, 8.

scilicet angelos, dispensative reliquerat veniens ad terram ovem centesimam, humanam scilicet naturam, quae ut ovis * errans perierat, quae- *Af.66b
sivit ut bonus pastor sollicite, quam inventam suis humeris cum gaudio reportavit, ut dicitur Luc. 15, 4-6; de quo deserto vel solitudine dicitur Isai. 51, 3: *Consolabitur Dominus omnes ruinas eius, eius* [a] *ponet desertum quasi delicias et solitudinem quasi hortum Domini, gaudium et laetitia* [b] *invenietur in ea, gratiarum actio et vox laudis*, quod ad litteram de sancto Sanctorum habitaculo intelligi habet.

In caelum ergo divinitas tempore passionis ** *Bf.4d*
abiisse dicitur, non de loco ad locum migrans, sed virtutem propriam cohibens ut daret spatium passioni: 'abire' enim 'cohibere' intellige. Deus enim, qui ubique adest, aliquando recedere dicitur, cum suam cohibet operationem. Unde in passione Dominus Iesus voce magna clamavit [1]: *Deus meus, ut quid me dereliquisti* [c]? Quod autem iste Apopompeius [d] [sit] Filius Dei [e], qui in caelum, locum scilicet desertum, ad quem nulla creatura potest accedere, ad sinum scilicet Dei Patris, in quo semper

[a] B om. [b] A *letitiam.* [c] B *dereliquisti me.* [d] A *Apompopeius*, B *Apompeius.* [e] B om.

[1] Matt. 27, 46.

manens ab eo nunquam recessit, nostra peccata portat, audi Apostolum, Hebr. 1, 3, dicentem [a] de ipso Filio Dei: *Cum sit splendor gloriae et figura substantiae* Patris *portansque omnia verbo virtutis suae.* Quae autem *omnia?* audi quod sequitur: *Purgationem,* inquit, *peccatorum faciens sedet ad* [b] *dexteram maiestatis in excelsis.* Christus ergo Deus et homo, impassibilem deitatem custodiens, solam passionibus humanitatem praebuit; effectus tamen [c] passionis eius, idest peccatorum remissio, non solum passae carnis, sed multo magis impassibilis deitatis fuit.

Quomodo autem iste homo Iesus vestimenta
* *Af. 66c* sua lavet [d] ut mundus * sit, Levit. 16, 26 dicitur: *Lavabit* ille homo [e] *vestimenta sua et,* pro [f] 'id est', *corpus suum et sic ingredietur castra.* Zacharias namque propheta, cap. 3, 3, dicit se vidisse Iesum sacerdotem magnum *indutum vestibus sordidis;* Ioannes in Apoc., cap. 19, 13, dicit quod *vestitus erat veste aspersa sanguine et* [*vocatur*] *nomen eius Verbum Dei;* et Gen. 49, 11, Iacob patriarcha, cum de Iuda nasciturum Dominum prophetaret [g], adiecit: *Lavabit in vino stolam suam et in sanguine uvae pallium suum;* et Isaias, 63, 1-3, dicit: *Iste, formosus*

---

[a] B *dicente.* [b] B *a.* [c] B *enim.* [d] A *lavat,* B *lavet vestimenta sua.* [e] B om. [f] B add. *verbo.* [g] B *prophetaret Dominum.*

in stola sua, rubrum habuit indumentum sicut calcantium in torculari, quia aspersus est sanguis eorum super vestimenta sua et omnia indumenta sua[a] *inquinavit.* Nam et ipse Aaron, oblato hoc sacrificio, iubetur lavare corpus suum aqua et vestibus suis indui, ut dicitur Levit. 16, 24; quod Apostolus, ad Hebr. 10, 19-23, ita intelligit dicens: *Habentes itaque, fratres, fiduciam*[b] *in introitu Sanctorum in sanguine Christi, qui initiavit nobis viam novam et viventem per velamen, idest carnem suam, et sacerdotem magnum super domum Dei, accedamus cum vero corde in plenitudine fidei aspersi corde a conscientia mala et abluti corpus aqua munda teneamus spei nostrae confessionem indeclinabilem.* Haec ibi.

Hoc est etiam mysterium illud duorum passerum qui in leprae emundationem offerri debent, ut dicitur Levit. 14, 2: *Hic est ritus leprosi,* idest peccatoris, qui *mundandus est:* egredietur sacerdos ad eum extra castra. Nisi enim Filius Dei * extra castra egressus fuisset, non pote-* *Bf.5a*
ramus a peccati lepra mundari. Egressus est ergo extra angelorum choros, quos * Iacob vi-* *Af.66d*
dens, Gen. 32, 2, ait: *Castra Dei sunt haec.* Nisi etiam extra castra, idest extra portam Ierusalem, Christus Iesus passus fuisset, nos salvi esse non poteramus. Propter quod Apostolus,

[a] B om. [b] B *fiduciam, fratres.*

Hebr. 13, 12-13, ait: *Iesus, ut sanctificaret populum per suum sanguinem, extra portam passus est; exeamus ad eum extra castra improperium eius portantes.*

Offeretque *duos passeres vivos quos vesci licitum est*[1], idest [qui] mundi sunt, divinitatem scilicet et humanitatem, quia munda Christi humanitas etiam et vivens est, munda quidem utpote quia proprium peccatum non habuit nec maledictionibus Legis obnoxia fuit, sine omni vitio concepta et nata. Quorum unus immolatur *in vase fictili*, idest in corpore mortali de nostro limo formato, *super aquas viventes*[2], idest vivificantes, quae sunt aquae baptismi, quia *nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto, non intrabit in regno caelorum,* ut dicitur Ioan. 3, 5. Assumetque *lignum cedrinum*[3], idest crucem, quae in parte vere ex cedro facta est; unde Eccli. 24, 17: *Quasi cedrus exaltata sum in Libano. Et vermiculum*[3] sive coccum, qui est coloris sanguinei, quia *sine sanguinis effusione non fit remissio peccatorum,* ut dicitur Hebr. 9, 22; unde et *coccineus funiculus* appensus signum fuit salutis Rahab et omnibus suis, ut dicitur Ios. 2, 18. *Et hyssopum*[3], quae natura sua expurgationem peccatorum tamquam noxii humoris in pectore residentis significat, David

[1] Levit. 14, 4. [2] Levit. 14, 5. [3] Levit. 14, 4.

teste, qui ait[1]: *Asperges me,* Domine, *hyssopo et mundabor, lavabis me et super nivem dealbabor;* unde et *fasciculum hyssopi iubet* Moyses *tingere in sanguine*[2], qui se volunt ab exterminatore tueri, quia *est victima transitus Domini,* ut dicitur Exod. 12, 27.

Et omnia praedicta *san-*guine passeris* tinge-* *Af. 67a*
bantur[3], ubi perfecte baptismi figura exprimitur, qui vere mortem Christi repraesentat; propter quod Apostolus ait, Rom. 6, 3: *Quicumque* ergo *in Christo baptizati sumus, in morte ipsius baptizati sumus.* In quo perfecta [a] fit expurgatio omnium peccatorum [b] tam praecedentium quam etiam [c] subsequentium, non quod baptismus iterandus sit, sed quia etiam quae post commissa per poenitentiam delentur, in virtute purgantur iam primitus suscepti baptismi, quia etiam omnis peccatorum purgatio fit virtute aquae et sanguinis quae profluxerunt de Christi latere iam dormientis in cruce. Haec enim sunt illa quae nostrae propitiationi *testimonium* reddunt *in terra,* ut dicitur I Ioan. 5, 8: *spiritus, aqua et sanguis,* spiritus scilicet passeris immolati, quia et vivus dictus est, cuius sanguis super aquas effunditur; nam et cum dominus

[a] B *perfecte.* [b] B *peccatorum omnium.* [c] B om.

[1] Ps. 50, 9. [2] Exod. 12, 22. [3] Levit. 14, 6.

Iesus *inclinato capite spiritum* tradidisset [1], *unus militum lancea latus eius aperuit et continuo exivit sanguis et aqua,* ut dicitur Ioan. 19, 34. Passer enim ille immolari debebat collo retorto; nam, sicut dicitur Levit. 1, 14-15, *si de avibus fuerit oblatio,* immolabitur *retorto ad collum* [a] *capite.* Absque omni ergo [b] dubio his oportet leprosum aspergi ut iure mundetur [2]; *si quis* enim *hoc ritu non fuerit expiatus, peribit anima*
*Bf.5b *illius,* ut * dicitur Num. 19. 20.

His etiam tingitur passer ille vivus qui in desertum debet advolare, idest ipsa Christi deitas, quia non in hominis tantum, sed in Dei et hominis passione baptizamur; Christus enim unus est, qui passus est, nec est divisus, sicut Apostolus contra Corinthios arguit, qui se in hominis virtute baptizari putabant, ut habetur I Cor. 1, 12-13. Unde et pater fidei nostrae Abraham, cum sacrificium de animalibus factum divideret, *aves non divisit,* ut dicitur Gen. 15, 10.
*Af.67b Quia etiam divinitas [c] impassi-*bilis est, passer ille vivus dimittitur; quia vero a carne inseparabilis est, in sanguine [d] tingitur. Haec est *avis ad alta transvolans et passer quolibet vadens,* ut Salomon ait, Prov. 26, 2.

[a] B *ad collum retorto.* [b] B *ergo omni.* [c] A *deitas.* [d] A *sanguinem.*

[1] Ioan. 19, 30. — [2] Cf. Levit. 14, 7.

Isti sunt illi *passeres duo* quos proditor Iudas vendere credidit, Matt. 10, 29, *asse,* idest integre et totaliter, minime attendens quod, Luc. 12, 6, *unus ex illis* nunquam *in oblivione coram Deo* esse potest; licet autem etsi dispensative ad tempus propter humanam salutem a Deo videatur relinqui ac per hoc in mortem tradi, *sine* Deo tamen *non* potest *cadere super terram.* Ipse autem impius Iudas, innocentis sanguinis insidiator, *tendiculas abscondens contra insontem frustra deglutire eum* putavit *viventem sicut infernus et integrum quasi descendentem in lacum,* cupiensque *domum* suam *replere spoliis sortem misit* cum pontificibus Iudaeorum, qui mali coloni vineae existentes Filium Patris ad eos *novissime missum occiderunt* [1]; *unum*que omnes tam ipsi quam Iudas *marsupium* cum daemonibus habuerunt, ut dicitur Prov. 1, 11-14, non considerantes, ut ibi sequitur statim, quod *frustra iacitur rete ante oculos pennatorum,* sed *ipsi* potius *contra sanguinem suum insidiantur et moliuntur fraudes contra animas suas.*

Propter quod et ipse Dominus noster, vinculis mortis contritis et *inferni solutis doloribus, iuxta quod impossibile erat* eum *detineri,* ut Petrus testatur Act. 2, 24, tamquam *passer de laqueo venantium ereptus* [2] virtute pretiosi sangui-

[1] Marc. 12, 6-8. [2] Ps. 123, 7.

nis sui, etiam sanctos patres qui *vincti* detinebantur[a] *de lacu* inferni eduxit, ut dicitur Zach. 9, 11. Ipse autem infelicissimus Iudas multo
Af. 67c execra-*bilius quam prius Deum offendens se ipsum laquei suspendio interemit: non enim credidit gratis redimere posse quem *argento vendiderat*[1]. Non enim poterat carnalis amor sive carnis lascivia, quae iam[b] fere totum impleverat mundum ita ut iam homo totus esset caro factus, eum Dei Spiritu deserente cui erat caro rebellis, ut Gen. 6, 3 dixit Deus: *Non permanebit spiritus meus in homine in aeternum quia caro est,* aliter extirpari, nisi Ille, qui delitiosissimus in se semper existens omnesque sanctos in se perfecte delitians [est], nostram sine
Bf. 5c vitio carnem * assumeret eamque domandam atque spiritui perfecte subiciendam et verbo doceret et exemplo perfectissimo confirmaret.

Unde et ipse ieiunans in deserto nec diebus nec noctibus sumpsit cibum continue orans ipsumque Satanam delitias offerentem triumphans ostendit *hoc* daemoniorum genus ieiuniis et orationibus posse devinci[2]. Postmodum amarissimum dirae passionis calicem bibens durissimosque corporis dolores per omnes sensus ex-

[a] A *detinebatur.* [b] B *etiam.*

[1] Cf. Amos, 2, 6. [2] Cf. Matt. 4, 2 et 17, 20.

cipiens carnis laetitias sive delicias omnino abhorrendas monstravit, ita ut, iuxta apostolicum documentum, qui Christi cupiunt esse *membra* sua *quae sunt super terram mortificent carnemque suam cum vitiis et concupiscentiis crucifigant*[1], ut in Christo vivere possint ac cum eodem Paulo dicere valeant: *Vivo ego, iam non ego, vivit vero in me Christus*, quia *Christo confixus sum cruci ut vivam*, Gal. 2, 19-20. Et I Petr. 4, 1-2, ait Petrus: *Christo passo in carne et vos eadem * cogitatione armamini, quia qui*[a] *passus est in carne desinit a peccatis ut iam non hominum desideriis, sed voluntati Dei, quod reliquum est vivat temporis*, quia *Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum ut sequamini vestigia eius*, ut dicitur eiusdem 2, 21. Et II Cor. 5, 15 dicitur: *Christus pro omnibus mortuus est, ut et*[b] *qui vivunt iam non sibi vivant, sed ei qui pro ipsis mortuus est.* *Af.67d

Quis enim potest appetere mollibus indui, cum videt Deum et Dominum suum panniculis involvi ac ipsis panniculis iniquorum manibus expoliari? Quis cupit laute vesci, cum Dominum, immo et Deum suum audit sitire, esurire ac postmodum felle et aceto potari? Quis audet carne lascivire[c], cum videt Deum et Dominum

[a] B *et.* [b] B om. [c] A *lascivie.*

[1] Col. 3, 5; Gal. 5, 24.

suum toto corpore flagellari ac postmodum crucifigi et mori? Credo quod nemo nisi qui inimici essent Crucifixi, quos et flendo Apostolus nominans [a] addit: *Quorum finis interitus, quorum Deus venter est et gloria in confusione* eorum, *qui terrena sapiunt,* Philipp. 3, 19.

Quomodo summum gradum caritatis Christi beatus Franciscus assumere voluit [b].

Hunc caritatis gradum quem Christus, ut dictum est, in passione ostendit, beatus pater Franciscus assumere voluit. Sed quia caritatem non solum in alio, sed nec in seipso esse quis cognoscere potest nisi aliquibus coniecturis et exterioribus signis, hanc summam caritatem in ipso beato Francisco fuisse, cuius « mens in carne patuit » [1], certissime nobis adstruunt, efficacissime probant et clarissime manifestant stigmata Crucifixi corpori suo impressa. Non enim arte aliqua humani favoris facta est
* *Af. 68a* haec * transformatio, sed per vim amoris. Amor enim vis est maxime unitiva [c], quae et amantem in amatum transformat. Unde Hugo de Sancto

[a] B *nominat.* [b] A B om. *Quomodo... voluit.* [c] A *ultima.*

[1] Verba haec sumuntur ex prosa *Laetabundus* in honorem S. Francisci. Cf. *Cantus varii,* Romae 1902, p. 240.

Victore, in II libro *De sacramentis*, p. 1, c. 8, dicit de beata Virgine, quod vere convenire potest beato Francisco quantum congruit intentioni praesenti: « Quia, inquit, amor Spiritus Sancti in corde eius singularlter ardebat *, vir-* *Bf. 5d*
tus Spiritus Sancti in carne eius mirabilia faciebat; cuius amor in corde non suscepit socium, eius operatio in carne non habebat exemplum ». Haec Hugo [1].

Nam ferventi Crucifixi amore, qui pro nobis hostiam salutarem se [a] obtulit Deo Patri, anhelabat et ipse ad martyrii palmam, summo desiderio cupiens et ipse se ipsum impendere proximo hostiam vivam. Propter quod et pluries ad partes infidelium transmeavit et usque ad Soldani Babyloniae conspectum multo discriminosoque labore pervenit. Verum, licet diversis esset afflictus molestiis multisque lacessitus iniuriis, hoc tamen suum desiderium implere non potuit, Deo pro nobis melius providente ac digniori martyrio hunc sanctum suum mirificare volente [2]. Nullum enim tam dignum tamque gloriosum martyrium fuit quam illud quod et ipse rex martyrum Christus in semetipso excipere vo-

[a] A *set.*

[1] Loc. cit. (PL 176, 593). [2] Cf. S. Bonav., *Leg. mai.*, IX, 7-9.

luit, ad quod sicut ad summum ignem omnium aliorum sanctorum martyria comparata secundum plus [a] et minus dignitatem participant [b]; suum autem hunc sanctum sic ipse Dominus dignificare [c] disposuit quod eum tamquam dignissimum martyrem singulari privilegio proprio suo martyrio consignavit ipsamque palmam martyrii in eius adhuc per biennium vivente corpore virtute propria consignavit.

*Af.68b Vere ergo felix * huius [d] anima sancti, quae [e], ante [f] quam gladius persecutoris vel etiam communis mortis [eam] auferret, martyrii palmam accipere meruit; quin immo, et quod est amplius admirandum, et vere felix eius caro non immerito dici potest, quae adhuc supervivens gloriosi decore martyrii est mirabiliter ac veraciter insignita. Quia enim anima illa sancta suspendium crucis elegerat, ipsa etiam eius caro iam fere emortua quasi iugiter in cruce pendebat. Cum enim esset caro illa totaliter sub spiritus potestate redacta, necesse habebat ipsius animae passiones sequi perfecte. Absque omni enim dubio credo quod stigmata illa sacra vulnerum Christi beato Francisco impressa viscerosius eius animam gladiabant quod si violentia qua-

---

[a] A *aplus.* [b] A *parcipant.* [c] B *dignificare sic ipse Dominus.* [d] B *vere huius felix.* [e] AB *quam.* [f] A *autem.*

cumque ab ipso corpore fuisset extorta; non enim aliter corporalis dolor affligit nisi quia animam unitam corpori afficit.

Quia ergo anima huius sancti maxime ipsi Christo unita erat affectione et amore, vulnera corporis Christi compassionis gladio vehementissimum dolorem in mentem[a] eius continue innovabant. Propter quod et virtute amoris mentis fiebat, ut magis illa anima corporis Christi dolores sentiret quam si in corpore suo proprio dolores ab extrinseco illatos perpessa fuisset. Iuxta quod Ambrosius, in libro *De Spiritu Sancto*[1], ait: « Sanctus ait: *Confige timore tuo carnes meas,* non ferreis[b] clavis ait, sed *timore,* sed fide; vehementior est enim virtutis strictura quam poenae ». Haec Ambrosius. Unde illa anima ex sacris stigmatibus vulnerum * Christi corpori eius impressis tamquam* *Bf. 6a* ex vulneribus propriis dolore gravissimo est affecta. Sicut enim de eo cantatur[2], licet sit res mira, tamen est vera, quod animam illam cruci * Christi « confixit novis clavis amor verus ». * *Af. 68c*

Cuius signum habemus quod ex lateris eius vulnere sanguis saepius emanabat[3]: quod sine

[a] B *mente.* [b] A *in ferreis.*

[1] Cap. 9, n. 108 (PL 16, 730). Cf. Ps. 118, 120. [2] In prosa supra citata *Laetabundus.* [3] S. Bonav., *Leg. mai.*, XIII, 3; *Leg. min.*, n. 48.

dolore cordis permaximo fieri non potuisset, quia et ipsa impressio illorum sacrorum stigmatum non sine sensu immensi doloris et magno eiulatu vocis est facta, sicut ipse beatus pater Franciscus cuidam devoto fratri certitudinaliter revelavit [1], sicut et ipse Christus, cum eius manus et pedes clavis foderentur, magnos doloris eiulatus emittebat, ut sacer dicit Hilarius in libro X *De Trinitate* [2]. Et sicut ego a meis accepi maioribus, cum in infirmitate gravissima in qua et spiritum reddidit immensis doloribus quateretur, interrogatus a fratribus in qua corporis parte [a] doleret tam graviter, respondit in manibus, pedibus ac latere, ubi et stigmata erant vulnerum Christi, dolores se intensissimos sustinere [3]. Toto etiam illo biennio quo supervivens sacra illa stigmata baiulavit, incurabilibus infirmitatibus et doloribus multiplicibus est affectus, sicut liquido potest patere *Vitam* ipsius et actus legentibus studiose [4].

Et sicut summa Dei caritate, ut est dictum, ipse Deus verus humanitatis assumptione frater

[a] B *parte corporis.*

[1] « Cum vehementissimo doloris sensu et cum magno qualibet vice clamore », inquit ille frater devotus in suo testimonio coram testibus dato 3 oct. 1282. Cf. *Anal. francisc.*, III, 641 sq. [2] Cf. n. 14, 23; XI, n. 2 (PL 10, 352, 361, 400). [3] Nullus alius auctor hucusque notus talia retulit. [4] Cf. S. Bonav., *Leg. mai.*, XIV, 1 sq.

noster est factus iuxta sponsae desiderium suspirantis atque dicentis, Cant. 8, 1: *Quis mihi det te fratrem meum* etc., sic [a] beatus pater Franciscus frater omnium voluit appellari ac omnes de suo Ordine spirituales fratres nominari praecepit et esse, dans monita et mandata in sua Regula praecipue de caritate, concludens [1] quod « *si mater* * *nutrit et diligit filium suum carnalem, quanto diligentius debet quis diligere et nutrire fratrem suum spiritualem !* » Hic autem non est comparatio in eisdem terminis, sed est similitudo proportionis. Et sequitur quod « *si quis eorum in infirmitatem ceciderit, alii fratres debent sibi servire sicut vellent sibi serviri* ». *A f. 68d*

Ubi attendere debes quod nulli alteri religioni nomen hoc fraternitatis proprie convenit. Namque [b] omnes qui beati Augustini Regulam profitentur, non fratres, sed *canonici* [c] appellantur; qui autem sub beati Benedicti Regula degunt, non fratres, sed *monachi* vocitantur; soli autem huius tertiae Regulae professores, amore spiritus et caritate coniuncti, fraternitatis nomen sibi proprie vendicant, quia tertia in Trinitate persona, quae Spiritus Sanctus est,

[a] A *sicut*. [b] B *nam*. [c] B *cannonaci*.

[1] Cap. 6.

amor vere uniens et caritas nectens nuncupatur. Hoc enim nomen fraternitatis vere caritatem [a] ostendit. Unde ait Apostolus, Hebr. 13, 1: *Caritas* [b] *fraternitatis maneat in vobis.* Frater enim dicitur 'fere alter', idest alter secundum rem et substantiam, non alter secundum affectum et benevolentiam, quibus scilicet debet esse *cor*
* *Bf. 6b* *unum et anima una* [1] propter * voluntatum identitatem et caritatis vinculum, qua tenetur quilibet diligere fratrem suum sicut semetipsum, *non verbo* vel *lingua, sed opere et veritate,* ut dicitur I Ioan. 3, 18.

De laudibus caritatis et exhortatio ad ipsam [c].

Debent autem fratres esse amantes se veraciter, consulentes sibi invicem sapienter, communicantes se et sua largiter, consolantes se dulciter, compatientes clementer, coadiuvantes unanimiter, protegentes se virtualiter; haec enim sunt opera fratrum. Nam hoc est unum
* *Af. 69a* de his quae placita sunt * Deo, *concordia fratrum,* Eccli. 25, 2. Hoc enim est maximum istud *bonum* atque *iucundum,* ut dicit Psalmista [2], *ha-*

[a] A *caritate.* [b] B add. *autem.* [c] AB om. *De laudibus:.. ipsam.*

[1] Act. 4, 32. [2] Ps. 132, 1.

bitare fratres in unum. Super quo Hieronymus[1] ait: «'*Fratres*' hic dicuntur spirituales, non carnales, fratres mente, non corpore, nam carnalibus fratribus cohabitare plurimum est causa discordiae». Haec Hieronymus. His autem Paulus dicit, Ephes. 4, 1-4: *Digne ambuletis vocatione qua vocati estis,* idest quia fratres vocati estis; sequitur: *Cum omni humilitate et mansuetudine, in patientia, supportantes invicem in caritate, solliciti servare unitatem spiritus in vinculo pacis, unum corpus et unus spiritus, sicut vocati estis in una spe vocationis vestrae.* Haec ibi. Quod verbum tractans Gregorius, in *Pastorali*[2], ait: «Ad unam vocationis spem nequaquam pertingitur, si non ad eam unita cum proximis mente curratur». Haec Gregorius. Caritas enim est *vinculum* illud *perfectionis,* quod *super omnia* nos habere Apostolus admonet, Col. 3, 14. Et Philipp. 2, 2-4 ait: *Idem sapiatis eamdem caritatem habentes, idipsum sentientes, nihil per contentionem neque per inanem gloriam, sed in humilitate superiores sibi invicem arbitrantes, non quae sua sunt singuli considerantes, sed quae aliorum.* Haec ibi.

Propter quod *et eum qui seminat inter fra-*

[1] *Tract. de Ps. CXXXII* (ed. G. Morin, p. 245sq.). Cf. *Breviar. in Psalm.* (PL. 26, 1217). [2] Part. III, admon. 23 (PL 77, 89).

* *Af. 69b* *tres discor-*dias* Deus summo odio *detestatur,* sicut dicitur Prov. 6, 19. Nam iste *tunicam inconsutilem* Christi lacerat, quam Christi crucifixores non fuerunt ausi dividere [1]. Unde Augustinus, *Super epistolam Ioannis I,* II: « Non est scandalum in eo qui diligit fratrem, quia qui diligit fratrem tolerat omnia propter unitatem, quia in unitate caritatis est superna dilectio. Psalmus: *Pax multa diligentibus* nomen tuum. Ubi est caritas, ibi pax ». Haec Augustinus [2]. Hieronymus quoque, super illud Psalmi: *Pax multa diligentibus* nomen tuum *et non est illis scandalum,* ait: « Qui Deum amat, pacem cum fratribus necesse est ut habeat, nam Deum falso amore diligit, qui scandalizatur in fratre ». Haec Hieronymus [3].

In hoc enim proprie Christi discipuli cognoscuntur, *si dilectionem ad invicem* habeant, quia hanc eis praecipue Dominus commendavit, ut dicitur Ioan. 13, 35. Unde I Ioan. 4, 21: *Hoc mandatum a Deo habemus* [a] *ut qui diligit Deum, diligat et fratrem suum.* Isto fraternitatis amore ardebat Paulus, quando dicebat, II Cor. 11, 29: *Quis infirmatur et ego non infirmor? quis scanda-*

[a] B *habemus a Deo.*

[1] Cf. Ioan. 19, 23, 24. [2] Loc. cit., n. 12 (PL 35, 1987). Cf. Ps. 118, 165. [3] Pseudo-Hieronymus, *Breviar. in Psalm.* (PL 26, 1204).

lizatur et ego non uror? Ipse enim *omnibus omnia factus* erat *ut omnes* Christo * *lucrifaceret; liben-* *Bf.6c*
tissime enim *impendi* et *superimpendi* volebat pro aliorum salute [1], qui etiam *optabat anathema* fieri *pro fratribus* suis, ut dicit Rom. 9, 3. Hoc autem intellige non simpliciter, sed ad tempus vel sub conditione, scilicet si hoc optabile est. * Et* *Af.69c*
sicut idem ait, Ephes. 5, 1-2: Qui *imitatores Dei* esse volunt, *sicut carissimi filii* debent *in dilectione ambulare* [a] *sicut Christus dilexit nos et tradidit semetipsum pro nobis.* Audeo enim dicere quod pro fratre tuo salvando damnum aliquod vel [b] periculum corporis timere non debes. Unde I Ioan. 3, 16: *In hoc cognovimus caritatem Dei quoniam ille pro nobis animam posuit, et nos debemus pro fratribus animas ponere*; *omni* enim *tempore diligit qui amicus est, et frater in angustiis comprobatur,* dicitur Prov. 17, 17. Augustinus etiam, libro I *De doctrina christiana,* ait: « Amplius alius homo diligendus est quam corpus nostrum ». Haec Augustinus [2].

Sed quid multis immorer? Tota enim Scriptura non solum Novi, sed et [c] Veteris Testamenti, tam exemplis quam verbis te ad Dei ac

[a] B *ambulare in dilectione.* [b] A *adest* pro *a. v.*
[c] B om.

[1] I Cor. 9, 22; II Cor. 12, 15. [2] Cap. 27, n. 28 (PL 34, 29).

proximi dilectionem incitat, quia *hoc est primum et maximum mandatum,* ex quo *universa lex pendet et prophetae: Diliges dominum Deum tuum ex toto corde tuo,* ex *tota anima*[a] *tua,* ex omnibus viribus tuis, et *proximum tuum sicut teipsum*[1]. Hoc enim mandatum ex lege naturali habetur. Unde Dominus ait, Matt. 7, 12: *Omnia quaecumque vultis ut faciant vobis homines, et vos facite illis: haec est enim lex et prophetae.* Et super illud Eccli. 17, 9: *Addidit illis disciplinam et legem vitae,* dicit Glossa[2]: «Legem litterae ad correptionem naturalis Legis scribi voluit; hoc enim naturalis Lex et litteralis in-
**Af.69d* sinuat, * ut Deum *toto corde, tota anima, tota virtute* diligamus[3] et mandata Dei in Dei et proximi dilectione custodiamus». Propterea ibi in textu sequitur[4]: *Dixit illis: attendite ab omni iniquo, et mandavit illis unicuique de proximo suo.*

Tuos autem proximos tuosque fratres omnes qui rationalem animam sortiuntur, qui imaginem Dei portant, qui unum tecum *patrem* habent *in caelis,* accipere debes: *pro omnibus* enim hominibus *sine personarum acceptione* Christus *mortuus est*[5] omnesque sine delectu sufficienter

[a] B *mente.*

[1] Matt. 22, 37-40. [2] Rabani, in h. l. (PL 109, 876). [3] Marc. 12, 30. [4] Eccli. 17, 11-12. [5] II Cor. 5, 15; I Petr. 1, 17; Matt. 5, 16.

redemit. Unde super illud Levit. 19, 18: *Diliges proximum tuum sicut teipsum,* dicit Glossa: « Proximus non proximitate sanguinis intelligendus est, sed societate rationis »; et Augustinus, I *De doctrina christiana*[1]: « Omnis homo in quantum homo diligendus est propter Deum ». Propter quod et Christus *coronam de spinis*[2] in capite suo portavit. Per spinas autem quae sunt pabulum ignis, quas non nisi terra maledicta produxit, in sacra Scriptura peccata significantur, dicente Deo ad Adam cum emitteret eum de paradiso: *Maledicta terra in opere tuo, spinas et tribulos germinabit tibi,* Gen. 3, 17-18. Corona[a] autem, quae est figurae capacissimae atque perfectissimae, orbem universum repraesentat; unde dicitur Isai. 22, 18: *Coronans coronabit te tribulatione, et quasi pilam mittet te in terram latam et spatiosam.*

Christus ergo super caput *coronam de spinis* portat, qui *vere languores nostros tulit et dolores nostros ipse portavit,* quia *super eum posuit Deus iniquitates omnium nostrum,* ut dicitur ** Af.70a* Isai. 53, 4-6; *qui peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum, cuius livore sanati* sumus, I Petr.[b] 2, 24. Christus enim *est pro-*

[a] A *Coronam.* [b] A om.

[1] Cap. 27, n. 28 (PL 34, 29). [2] Ioan. 19, 2.

pitiatio pro peccatis nostris, non pro nostris autem
*Bf. 6d *tantum, sed * et*[a] *pro totius mundi,* I Ioan. 2, 2. Et haec est lex caritatis Christi, quam Apostolus beatus nos[b] praecepit adimplere, Gal. 6, 2, cum dicit: *Alter alterius onera portate, et sic adimplebitis legem Christi.* 'Onera' hic Apostolus vocat peccata, quae pondere suo in infernum demergunt, de quibus Psalmus[1] ait: *Iniquitates meae supergressae sunt caput meum et sicut onus grave gravatae sunt super me.* Unde et de Pharaone et de servis suis aegyptiis dicitur, Exod. 15, 5, quod *descenderunt in profundum quasi lapis* et *submersi sunt quasi plumbum in aquis vehementibus*[2]. Quia enim infernus in centro mundi est, natura autem gravis est centrum petere, recte[c] peccata pondere dicuntur gravissima, quae usque[d] ad infernum pertrahunt; unde et Zacharias propheta, cap. 5, 7, dicit se vidisse impietatem *plumbi talentum* in ore gestantem. Unde Augustinus, *83 Quaest.*, 71: « Dilectionis Christi officium est invicem onera nostra portare, nihil enim sic probat amicum quemadmodum oneris amici portatio ». Haec Augustinus[3].

[a] A om. [b] B *beatus Apostolus nobis.* [c] A *recta.* [d] B *quousque* pro *q. u.*

[1] Ps. 37, 5. [2] Exod. 15, 10. [3] Loc. cit., n. 1 (PL 40, 80 sq.).

Christi ergo legem, qui, ut dictum est, omnium peccata super se portavit, vere tunc adimplemus, si et nos aliorum peccata portare studeamus; ita enim et nos invicem *diligere debemus sicut et Christus dilexit nos*[1]. Propter quod et in Lege praeceptum est, Deut. 22, 4: * *Si videris asinum fratris tui cecidisse in via,* * *Af. 70b* *non despicies, sed sublevabis cum eo.* Sicut autem dicit Apostolus, I Cor. 9, 9, non esse *curam Deo de bobus,* ita vere dico Deo talem curam de asinis non esse, sed *ad nostram doctrinam* haec *scripta sunt*[2]. Asinus ergo, animal stolidum, hominem significat sua imprudentia in peccatum lapsum. Tu ergo qui hunc vides, si Christi caritatem habes, si Christi legem observas, *non despicies,* non pertransibis, *sed sublevabis cum eo,* immo, si potes, sublevabis eum compatientibus miserendo, indulgendo. Unde Apostolus ait, Gal. 6, 1-3: *Fratres, si praeoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos qui spirituales estis, huiusmodi instruite in spiritu lenitatis, considerans teipsum ne et tu tenteris: qui enim putat se aliquid* [a] *esse, cum nihil sit, ipse se seducit.* Propterea et Lex dicit: *Non despicies* [b].

[a] A *se putat aliud.* [b] A *despicias.*

[1] I Ioan. 4, 11. Cf. Ephes. 5, 2. [2] Rom. 15, 4.

Nec intelligas hic fratrem tuum tibi aliquo vinculo speciali coniunctum, sed etiam si fuerit extraneus, si fuerit inimicus, hoc facere debes — unde Exod. 23, 5, dicitur: *Si videris asinum odientis te iacere sub onere, non pertransibis, sed sublevabis* [a] *cum eo* — quia et [b] ipse Christus non modo pro amicis, immo pro inimicis passus est, ut ex praedictis apparet.

Unde Prov. 24, 17-18 dicitur: *Cum ceciderit inimicus tuus* [c], *ne gaudeas et in ruina* [d] *eius ne exultet cor tuum, ne forte videat Dominus et displiceat ei*; ubi Glossa [1]: « Sed quantum potes iacentibus condole et ut resurgant iuva et, si effectus conatum sequitur, gaudebis de sanato quem aegrotum dolueras, si non, benivolentiae
* *Af.70c* tamen fructu * non carebis ante Deum [e] ». Haec Glossa. Potes autem per istum *odientem te* et [f] diabolum intelligere, quia de eo scriptum est [2]: *Odio habebis inimicum tuum,* cuius asinus dicitur factus qui cecidit [g] in peccatum, iuxta illud Psalmi [3]: *Assimilatus est iumentis insipientibus et similis factus est illis.*

Tu ergo subleva cum eo, porta onus eius, si potes, ut eum reducas ad Christum. Vide quo-

---

[a] A om. *sed sublevabis.* [b] A om. [c] B om. [d] A *ruinas.* [e] B *Dominum.* [f] A om. [g] B *ceciderit.*

[1] In h. l., ap. Lyran. (ed. Venetiis 1588, p. 332). [2] Matt. 5, 43. [3] Ps. 48, 13.

modo vere hoc fecit Samaritanus ille, * qui mi- * *Bf.7a*
sero illi sauciato *appropians, misericordia motus, vulnera alligavit,* super *iumentum suum* imposuit, *duxit in stabulum, curam* illius *egit* [1]. *Vade* ergo *et tu fac similiter,* ut Dominus dicit, Luc. 10, 37. Audeo enim dicere quod, nisi similiter feceris, *sanguis fratris tui* contra te ad Deum *clamabit,* sicut Dominus dicit ad Cain, Gen. 4, 10, qui samaritanus non fuit, quia custodiam fratris sui se habere renuit: samaritanus enim '*custos*' interpretatur; *de manu* enim *viri et fratris* sui *requiram animam hominis,* ait Dominus, Gen. 9, 5. Si enim Deus *unicuique de proximo suo mandavit,* dubium non est quin *sanguinem* proximi tui *de manu tua requirat* [2]. Debent enim *firmiores imbecillitates infirmorum sustinere,* ut dicitur Rom. 15, 1.

Propter quod verendum [a] valde est ne qui debent, iuxta apostolum Paulum, parvulos lactis suavitate nutrire infirmosque *lenitatis spiritu* [3] vel de medicinali oleo sustentare, dum nimis iusti videri cupiunt [4], in fratres * suos crude- * *Af.70d*
liter agant. Super quibus Ieremias deplorans ait, Thren. 4, 10: *Manus mulierum misericor-*

[a] B *verbum.*

[1] Luc. 10, 33-34. [2] Eccli. 17, 12; Ezec. 3, 18. [3] I Cor. 3, 2; Gal. 6, 1. [4] Cf. Eccle. 7, 17.

dium coxerunt filios suos, facti sunt cibus earum; ubi Glossa[1]: « In Ecclesia quasi per misericordiam filios suos [a] decoquunt, qui culmine regiminis sublimati zeli igne vel invidiae inflammant animas subditorum, dum *nimis iusti* [b] videri cupiunt et tyrannica potestate opprimunt, qui forsan *habent Dei* zelum, *sed non secundum scientiam*[2], ita austeritate dominationis quasi pro iustitia adurant et infirmam [et] carnalem eorum [c] vitam minis et increpationibus quasi dentibus rodunt ». Haec Glossa. Hos enim Ieremias *mulieres misericordes* appellat, qui cum misericordes ut matres contra filios esse deberent, ipsimet, etiam[si] matres se esse verbis blandis ostendant, manibus decoquunt, dum facto et opere crudeliter opprimunt, *speciem* quidem *pietatis habentes, virtutem autem eius* penitus ignorantes[3]. Nam si vocem habeant [d] lenis et mitis Iacob, *manus* tamen *pilosae* et asperae Esau hirsuti et sanguinei comprobantur[4], qui, cum se superiorem atque maiorem extimaret [e], semper fraterno odio laboravit.

Iure ergo filios suos dicuntur devorare, dum

---

[a] B *quasi filius suos per misericordiam.* [b] B *iuste.* [c] B *eorum carnale.* [d] B *habent.* [e] B *existimaret.*

---

[1] In h. l., ap. Lyran. (ed. cit., p. 197). [2] Rom. 10, 2. [3] II Tim. 3, 5. [4] Gen. 27, 11, 23.

nonnisi eorum [a] sanguinem sitire videntur, iuxta illud Eccli. 12, 16: *In oculis suis lacrimatur et, si invenerit tempus, non satiabitur sanguine.* De quibus, Sap. 12, 5, dicitur: *Filiorum necatores, devoratores sanguinis*, qui iuxta praeceptum dominicum, Levit. 17, 13-14, a nullo comedi debet, sed effundi super terram et cooperiri, * venia scilicet et compassione, quia *anima omnis carnis in sanguine est;* non quod animae substantiam sanguinem intelligamus, sed quia societatem cum carne per sanguinem habet et, cum sanguis evacuatus fuerit sive etiam frigu-erit, tunc carne dissolvitur. Unde Augustinus, in libro *Quaestionum Novi et Veteris Testamenti* [b]: « Anima certe, quia spiritus est, in sicco habitare non potest, ideo in sanguine fertur habitare ». Haec Augustinus [1]. Unitur etiam anima corpori mediante quodam corpore subtili, qui spiritus vocatur, qui spiritus [c], ut periti [d] in medicina dicunt, * non est [e] aliud quam vapor sanguinis temperati, et ideo sanguine evacuato vel etiam frigefacto vapor ille resolvitur, quo resoluto ulterius harmonia unionis corporis et animae permanere non potest.

*Af.71a

*Bf.71b

[a] B om. [b] B om. [c] A om. *vocatur, qui spiritus.* [d] A *perati.* [e] B om.

[1] Loc. cit., q. 23 (PL 35, 2229).

Quod autem praeceptum illud Domini de sanguine terra cooperiendo intelligi debeat[a] de misericordia et indulgentia peccatoribus praebenda, ex hoc liquido potest adverti quod, ubi Dominus peccata punire voluit, sanguinem noluit super terram effundi et cooperiri, sicut patet Ezech. 24, 7-8, ubi ait sic: *Sanguis eius in medio eius, super limpidissimam petram effudit illum, non super terram effudit illum ut possit operiri pulvere; ut superinducerem indignationem meam et vindicta ulciscerer, dedi sanguinem eius super limpidissimam petram, ne operiretur.* Haec ibi. Et Ezech. 18, 13, de illo qui cunctas abominationes fecit dicitur quod *sanguis eius* super eum *erit;* quasi dicat: non effundetur super terram neque cooperietur. Et sanctus ille Iob, qui diabolum puniri exoptat de poena sibi innocenti ab eo malitiose inflicta[b], ait, cap. 16, *Af.71b*19: *Terra, ne * operias sanguinem meum neque inveniat in te locum latendi clamor meus.* Ad suam autem innocentiam comprobandam et diabolicam malitiam declarandam testem Deum adducit; propterea sequitur: *Ecce,* inquit, *in caelo testis meus et conscius meus in excelsis.* Iuxta etiam Apostolorum statutum, Act. 15, 29, omnes se debent *a suffocatis et sanguine abstinere.* Ego autem hoc de illa suffocatione intel-

[a] B add. *et.* [b] A *infacta.*

ligo, de qua Dominus dicit, Matt. 18, 28, de servo illo nequissimo qui, remissione accepta decem millium talentorum, debenti sibi denarios centum nec dilationem voluit exhibere, sed *tenens suffocabat eum dicens: redde quod debes.*

Nec alicui videatur quod status praelationis a tali praecepto eum possit eximere, ut sic iudicem esse se credat quod patrem vel fratrem esse se nesciat, quia Dominus ait, Levit. 7, 26-27: *Sanguinem non sumetis in cibum; omnis anima, quae ederit sanguinem, peribit de populis suis.* Ubi sic universaliter dicitur, nullus excipitur. De quibus Gregorius, super illud Luc. 10, 3: *Mitto vos sicut agnos inter lupos,* in *Homilia,* ait [1]: « Multi, cum regiminis curam suscipiunt, ad lacerandos subditos inardescunt, terrorem potestatis exhibent et quibus prodesse debuerant, nocent; et quia caritatis viscera non habent, domini videri cupiunt, patres se esse minime recognoscunt, humilitatis locum in elationem dominationis mutant et, si quando extrinsecus blandiuntur, intrinsecus saeviunt; de quibus alias Veritas dicit [2]: *Veniunt ad vos in vestimentis ovium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces* ». Haec Gregorius, et ibi multa de hoc. ** *Af. 71c*

Dominus etiam, Luc. 11, 42, scribas et pharisaeos condemnat, qui *decimant omne olus et*

[1] *In evang.,* Hom. 17, n. 4 (PL 76, 1140). [2] Matt. 7, 15.

praetereunt iudicium et caritatem, qui *alligant onera gravia et importabilia et imponunt* ea super *humeros hominum, digito autem suo nolunt ea* levare, ut dicit Dominus, Matt. 23, 4. Super quo Chrysostomus ait[1]: « Tales sunt sacerdotes etiam nunc, qui omnem iustitiam populo mandant et ipsi nec modicam servant, videlicet
Bf.7c non ut faciendo sint, sed *ut* dicendo * *appareant iusti*; tales sunt qui grave pondus venientibus ad poenitentiam imponunt, qui " *dicunt et non faciunt*[2], et sic, dum poenitentiae poena praesentis fugitur, contemnitur poena peccati futuri. Sicut enim si fascem super humeros adolescentis qui non potest baiulare posueris, necesse habet ut aut fascem reiciat aut sub pondere confringatur; sic et homo, cui grave pondus poenitentiae imponis, [necesse est ut] aut poenitentiam reiciat aut suscipiens, dum sufferre non potest, scandalizatus amplius peccet[b]. Deinde, si erramus modicam poenitentiam imponentes, nonne melius est propter misericordiam rationem dare quam propter aliquam crudelitatem? Ubi enim paterfamilias largus est dispensator, non debet esse tenax famu-

[a] A *quia.* [b] AB *peccat.*

[1] *Opus imperf. in Matt.*, Hom. 43 (PG 56, 877 sq.). [2] Matt. 23, 3.

lus: si Deus benignus, ut quid sacerdos eius austerus vult apparere?» Haec Chrysostomus.

Quanta autem erga[a] peccatores benignitas et largitas Dei sit, audi eumdem sanctum, qui, in libro *De reparatione lapsi*, sic ait[1]: « Mihi crede, talis est erga homines pietas Dei: nunquam spernit poenitentiam, si ei sincere et simpliciter offeratur; etiamsi ad summum quis perveniat malorum et * inde velit reverti ad virtutis viam, suscipit, libenter amplectitur, facit omnia quatenus ad priorem revocet statum». Haec Chrysostomus. Cui etiam concordat sacer Ambrosius, in libro *De paradiso*, ita inquiens: « Illud commissum in fratrem, quod Cain Deo credidit mentiendum dicens[2]: *Nescio, numquid custos fratris mei sum ego?* accusatori diabolo eius accusatio reservata est». « Nam pastor ille evangelicus lapsam ovem vexisse legitur, non abiecisse, et Salomon ait[3]: *Noli esse nimis iustus;* debet enim iustitiam temperare moderatio. Nam quemadmodum tibi curandus praebeatur, quem fastidio habeas? qui contemptui se, non compassioni, medico suo putet futurum»? « Libenter ignosco, prompte indulgeo[4]: *Af. 71 d*

[a] A *erga autem.*

[1] *Ad Theodorum lapsum*, I, n. 6 (PG 47, 284). [2] Gen. 4, 9. [3] Eccle. 7, 17. [4] Osee, 6, 6.

Misericordiam malo [a] *quam* [b] *sacrificium;* quia per sacrificium iustus commendatur, per misericordiam redimitur». Haec Ambrosius[1]. Gregorius etiam, in *Pastorali*[2], ait: «Tales sese qui praesunt exhibeant, quibus subiecti occulta quoque [c] sua pandere non erubescant, ut cum tentationum fluctus parvuli tolerant, ad pastoris mentem quasi ad matris sinum recurrant, et hoc quod se inquinari pulsantis culpae sordidi praevident, exhortationis eius solatio [ac] lacrimis orationis lavent». Haec Gregorius.

Unde arca testamenti Domini bobus calcitrantibus inclinatur, quam cum Oza erigere conaretur, a Deo percussus interiit, ut dicitur II Reg. 6, 6-7. Arca autem testamenti praelatos significat, in quibus debent esse tabula Moysi ad erudiendum veraciter et florida virga aaro-
Af.72a ni-*ca ad corrigendum clementer et manna ad reficiendum et cibandum dulciter et super haec omnia propitiatorium ad indulgendum misericorditer. Hi ergo inclinari dicuntur, dum subditorum culpas pie supportant et eorum infir-

[a] AB *volo*. [b] A *non* post corr. [c] B *queque*.

[1] *De paradiso*, cap. 14, n. 71 (PL 14, 310); *De poenit.* I, c. 1, n. 2 (PL 16, 465); c. 12, n. 54 (PL 16, 483). Tres Ambrosii auctoritates hausit auctor noster ex Gratiano, *Decret.* II, C. 33, q. 3, c. 47, 48 (PL 187, 1534). [2] Part. II, c. 5 (PL 77, 33).

mitati humiliter compatiuntur et condescendunt. Boves recalcitrantes subditos significant suis praelatis non obtemperantes; levita, qui manum apposuit, illos significat, qui misericordiae compassionem in praelatis suis reprehendunt eosque ad severitatis rigorem erigere volunt. Unde bene levita ille Oza dicitur, qui interpretatur '*robustus*'; hi enim robusti dicuntur, qui dum de sua iustitia praesumunt, misericordiam peccantibus negandam putant et impendentes reprehendunt. Unde a Domino percussi intereunt, quia *iudicium sine misericordia* fiet his [1], *qui* nolunt *misericordiam* fieri delinquentibus. *Iustus* enim aliquando *perit in* * *iustitia sua*, ut* *Bf.7d* dicitur Eccle. 7, 16. Unde super illud Eccli. 19, 14: *Corripe proximum,* dicit Glossa[2]: « Patientia et mansuetudo magis valeant in correptione fratrum, quia sic datur locus timori Altissimi et fit conversio a peccatis ». Et Ezec. 34, 2-4: *Vae pastoribus Israël: quod infirmum fuit non consolidastis et quod aegrotum non sanastis, quod fractum non alligastis, quod abiectum non reduxistis, quod perierat non quaesistis, sed cum austeritate imperabatis eis et cum potentia.*

Propterea miserrimus Iudas, qui *poenitentia ductus* abiit * ad principes sacerdotum relinquens* *Af.72b* fratres suos Apòstolos, non invenit refugium,

[1] Iacob. 2, 13. [2] Rabani, in h. l. (PL 109, 892).

sed desperationis augmentum. Cum enim eis dixisset: *Peccavi tradens sanguinem iustum* retulissetque pecuniam, responderunt ei: *Quid ad nos? tu videris.* Matt. 27, 3-4. O immanis crudelitas! O ficta iustitia! *Quid,* inquiunt, *ad nos?* quasi dicant: nihil nobis et caritati, nihil nobis et pietati, nihil nobis et misericordiae, nihil nobis et clementiae; *quid* ergo *ad nos* de peccato tuo? tu *onus tuum portabis* [1], quia nos tecum levare nolumus nec a te deponendum providimus. Ipsi tamen, ut Christum possent [a] occidere, peccatum Pilati de Christi damnatione super se ferre audacter sponderunt dicentes: *Sanguis eius super nos et super filios nostros,* Matt. 27, 25. Si autem Iudas infelix [b] ad Apostolos redisset, isset utique ad fratres suos; non dubium quin eum benigne receptum caritative tractassent nec: *Quid ad nos?* dixissent, quin potius puto quod vertex Apostolorum Petrus lacrimas amaras fudisset ut eum Domino reconciliare valeret. Nam, ut ait Hieronymus, « ubi peccator intelligens vulnus suum tradet se medico curandum, ibi non est virga necessaria, sed *spiritus lenitatis* ». Haec Hieronymus [2].

[a] B *posset.* [b] B *infelix Iudas.*

[1] Gal. 6, 5. [2] Cf. Gratianus, *Decret.* II, C. 33, q. 3, c. 58 (PL 187, 1540); I Cor. 3, 2 et Gal. 6, 1.

Vide autem si non hoc fecit apostolus Paulus, qui de illo fornicatore notabili qui totam ecclesiam Corinthiorum turbaverat, quem *tradiderat Satanae in interitum carnis* [1], cum audivit eum conversum, ait, II Cor. 2, 6-11: *Sufficit illi qui huiusmodi est obiurgatio quae fit a pluribus, ita ut e contrario magis* * *donetis et con-* * *Af.72c*
solemini ne forte abundantiori tristitia absorbeatur; propter quod obsecro vos ut confirmetis in illum caritatem: si *cui autem* [a] *aliquid donastis, et ego, nam et ego quod donavi, si quid donavi, propter vos in persona Christi, ut non circumveniamur a Satana: non enim ignoramus cogitationes eius.* Haec ibi. Si qui autem sic non agunt, audeo [b] dicere in eis verbum illud impletum: fons caritatis perit in praelatis. Propter quod Ierusalem, civitas dilectionis et pacis, saepe fit Babylonia dissidii et confusionis. Idcirco nihil aliud restat populo Dei nisi ut, secundum dictum propheticum, omnes ex ea fugere festinent *ut salvet unusquisque animam suam* [2]. At tales iusti dicuntur ab illis, qui crudelem tyrannidem zelum iustitiae putant: vitia enim se esse virtutes saepius mentiuntur ut crudelitas iustitia credatur, ut dicit Gregorius, *Moralium* I [3].

[a] B *enim.* [b] B *adeo.*

[1] I Cor. 5, 5. [2] Ierem. 51, 6. [3] Cf. lib. III, c. 33, n. 65 (PL 75, 631).

Propterea *iudicium durissimum his qui praesunt fiet*, ut dicitur Sap. 6, 6; quibus comminatur Amos, 6, 1-3: *Vae qui opulenti estis in Sion et confiditis in monte Samariae, optimates, capita populorum, ingredientes pompatice, qui separati*
*Bf.8a *estis ad diem malum et appropinquatis solio * iniquitatis.*

Sequitur [1]: *Nihil patiebantur super contritione Ioseph.* Quod verbum tractans Augustinus, IV *De doctrina christiana* [2], ait: « Non dictum est: *Nihil patiebantur super contritione* fratris, sed positus est pro fratre [c] *Ioseph,* ut quilibet frater proprio significaretur eius nomine, cuius ex fratribus fama praeclara est vel in malis
*Af.72d *quae * pendit vel in bonis quae rependit ». Haec Augustinus. Unde surgens *rex novus* affligit filios Israel, populum Dei, ille inquam rex, qui caritate fraternitatis vacuus omnino *ignorat Ioseph,* ut dicitur Exod. 1, 8. Sed dubitandum non est quin Dominus *clamorem pauperum* suorum audiat, quin etiam condescendat et liberet *populum* suum *in brachio, filios Iacob et Ioseph* [3]. Propter quod *Ierusalem mater nostra* [4] dicit per Baruch, 4, 21: *Animaequiores*

[c] A om. *pro fratre.*

[1] Amos 6, 6. [2] Cap. 7, n. 20 (PL 34, 98). [3] Ps. 9, 13; 76, 16. [4] Gal. 4, 26.

estote, filii, clamate ad Dominum et eripiet vos de manu principum iniquorum.

Hic est ille Ioseph, qui ut dicitur, Gen. 37, 20, cum in agro errasset, a pastoribus et fratribus suis est tamquam a *fera pessima* devoratus: non enim eum patri reddere curaverunt, sed *in cisternam veterem,* idest desperationis profundum, eum mergentes ferocibus Ismaëlitis, idest daemonibus, quorum sunt *manus contra omnes et manus omnium contra* eos, ut dicitur Gen. 16, 12, in Aegyptum, *terram* scilicet *tenebrosam et opertam mortis caligine*[1], quae infernum significat, tradiderunt ducendum. Cum autem ab eis *eius sanguis exquireretur,* tunc se esse fratres Ioseph agnoscentes dixerunt: *Merito haec patimur, quia peccavimus in fratrem nostrum videntes angustiam animae eius dum deprecaretur nos et non audivimus, en sanguis eius exquiritur,* ut dicitur Gen. 42, 21-22.

Nec ab hoc caritatis praecepto potest quis se de ignorantia excusare, sed proculdubio qui hoc *ignorat ignorabitur*[2]. Lex enim naturalis a nullo potest ignorari capitis * salute gaudente,* *Af. 73a* quia quilibet *opus legis* huius *scriptum* habet *in corde suo,* ut ait Apostolus, Rom. 2, 15. Sicut enim praecognitiones scientiales ignorari non possunt, si termini cognoscantur, ut si

[1] Iob 10, 21. [2] I Cor. 14, 38.

cognoscas totum et partem, nunquam ignorare potes quod omne totum maius est sua parte, ut docto[a] in Analyticis[b] patet, sic istud mandatum ignorari non potest, si termini cognoscantur: qui enim Deum cognoscit et proximum suum fratrem suum, nullo pacto ignorare potest quod Deum propter se et super omnia diligere debet et fratrem suum sicut seipsum. Unde I Ioan. 4, 7-8, dicitur: *Carissimi, diligamus nos invicem, quia caritas ex Deo est, et omnis qui diligit, ex Deo natus est et cognoscit Deum*[c]; *qui non diligit, non novit Deum, quia Deus caritas est.* Similiter de impotentia nullus se poterit excusare, sicut probat Augustinus in sermone *De martyribus*[1], qui incipit: *Quotiescumque, fratres carissimi, sanctorum Martyrum*[d] etc., quia « dilectionem non aliunde quam de voluntate et corde vestro conquirimus ».

Qualiter Christus ostendit gradum summum humilitatis[e] in passione.

Ostendit etiam[f] Christus in sua passione gradum summum humilitatis. Maxima enim fuit hu-

[a] B *doctor.* [b] A *analeticis,* B *aleticis.* [c] B *Deum cognoscit.* [d] B om. *sanctorum martyrum.* [e] B om. *gradum summum humilitatis,* A *de humilitate* pro *qualiter... passione.* [f] B *autem.*

[1] Cf. Sermo 225, in Appendice (PL 39, 2161 sq.).

militas quod rex gloriae, dominus virtutum, nostrae servitutis habitum sumpsit infirmitatemque nostrae carnis accepit, *cum esset in forma Dei aequalis Deo,* qui utique verus Deus. Unde Apostolus ait, Philipp. 2, 5-7: *Hoc enim sentite in vobis quod et in Christo Iesu, qui cum* * *in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se aequalem Deo, sed semetipsum exinanivit formam servi accipiens in similitudinem hominum factus et habitu inventus ut homo.* Multo tamen excellentior humilitas monstrata est, quando supplicium crucis suscipere voluit * ac morte turpissima condemnari. Unde Apostolus prosequitur ubi supra: *Humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis. Cum* ipsis etiam *iniquis deputatus,* in[a] iniquorum loco inter ipsos etiam latrones suspensus ab ipsis iniquis blasphematur, et *cum malediceretur non maledicebat, cum pateretur non comminabatur,* ut dicitur I Petri, 2, 23, quia in humilitate iudicium eius *sublatum est,* Isai. 53, 8, quin potius pro suis crucifixoribus exoravit ipsorum actum ignorantiae imputans, Luc. 23, 34: *Pater,* inquit, *ignosce illis, non enim sciunt quid faciunt.* Ad quam vocem, ut dicitur in Evangelio Nazaraeorum [1], multa millia Iudaeorum

*Af.73b

*Bf.8b

[a] B om.

[1] Inter fragmenta quae supersunt Evangelii sic dicti Hebraeorum nihil tale legitur. Cf. A. Schmidtke, *Judenchrist-*

crediderunt adstantium contra crucem; quod etiam ipse centurio ostendit, cum dixit: *Vere Filius Dei erat iste,* videns quod sic clamans expirasset, ut dicitur Matt. 27, 54.

Non enim [a] poterat genus humanum a Deo per superbiam aversum, qua scilicet voluerunt primi parentes divinitatem rapere, nisi per summum humilitatis actum Deo reconciliari. Unde Augustinus, in libro *De gratia Novi Testamenti* [1]: « *Mediator Dei et hominum* Christus effectus est, ut nos reconciliaret per humilitatem Deo, a quo per impiam superbiam longe recesseramus »; et in I libro *De doctrina christiana* [2] ait: « Quia homo per superbiam
* *Af. 73c* ceciderat, sapientia Dei humilitatem * exhibuit ad sanandum ». Haec Augustinus. Sed cum omnis creatura in respectu [b] Dei nihil sit, nulla creatura se tantum humiliare poterat, et [c] si ad ipsum nihil veniret, ut elationi qua homo per superbiam in Deum ascendere voluit praeponderari valeret, propter quod necesse [d] fuit ut ipse Dei Filius suo Patri perfecte aequalis se ipsum quasi adnihilans hanc humilitatem imple-

---

[a] B om. [b] B *conspectu.* [c] B *etiam.* [d] A *necessarie.*

---

liche Evangelien, Leipzig 1911, p. 32 sqq., et M.-J. Lagrange, *L'Evangile selon les Hébreux,* in *Revue biblique,* XXXI (1922), p. 161-181, 321-349. [1] Cap. 28, n. 68 (PL 33, 568); I Tim. 2, 5. [2] Cap. 14, n. 13 (PL 34, 24).

ret, Deo Patri patiendo reverenter obediens omnem humanam superbiam perfecte confunderet ac inobedientiam aboleret, ut sicut *per unius hominis inobedientiam multi constituti sunt peccatores,* sic *per obedientiam unius multi* efficerentur *iusti,* ut Paulus ait, Rom. 5, 19. At quia nullus homo omnibus aliis poterat praeponderari, necesse fuit hoc fieri per illum qui, *cum esset Filius Dei, didicit ex eis quae passus est obedientiam,* ut Paulus ait, Hebr. 5, 8. Unde Leo papa, in sermone *De nativitate*, ait: « Aliter enim ab aeternae mortis vinculis non poteramus absolvi, nisi in nostris fieret humilis, qui in suis permanebat excelsus ». Haec Leo[1].

Non enim domina superbia, quae sibi iam totum fere [a] subiecerat mundum ita ut ille, qui in Iob[2] dicitur *rex super superbiae filios,* diabolus scilicet et Satanas, *huius saeculi princeps* ac *Deus*[3] putaretur, melius [poterat] confundi quam ut Altissimus, *rex regum et dominus dominantium*[4], fimum nostrae carnis assumens ipsam humilita-*tem verbo suo doceret ac exemplo per- *Af. 73d*
fectissimo confirmaret. Unde Augustinus, VII *Confessionum*[5]: « Verbum tuum essentia ve-

[a] B *fere totum.*

[1] Sermo 27, cap. 2 (PL 54, 217). [2] Cap. 41, 25. [3] Ioan. 16, 11; I Cor. 2, 8; II Cor. 4. 4. [4] Apoc. 19, 16. [5] Cap. 18, n. 24 (PL 32, 745).

ritas est, quia omnibus creaturae partibus supereminens subditos erigit ad se ipsam et in infirmioribus aedificavit sibi humilem domum de limo nostro, per quam subdendos deprimeret a se *Bf. 8c ipsis et ad se traiceret, sanans tumorem [a] * et nutriens amorem, ne fidentia sua progrederentur longius, sed potius infirmarentur videntes ante pedes suos infirmam deitatem [b] ex participatione tunicae pelliceae nostrae ». Idem quoque Augustinus [c], in libro *De agone christiano* [1], ait: « Quae superbia sanari potest si humilitate Filii Dei non sanatur »? quasi dicat: nulla. Idem etiam, in II libro *De baptismo parvulorum* [2], sic ait: « Vitiorum omnium humanorum causa superbia est; ad hanc convincendam atque auferendam talis medicina caelitus venit, ad elatum hominem per superbiam Deus humilis descendit per misericordiam ». Haec Augustinus. Bernardus quoque, in sermone *De nativitate* [3]: « Quae necessitas fuit ut sic humiliaret, sic abbreviaret, sic exinaniret se Dominus maiestatis, nisi ut nos similiter faciamus? Iam clamat exemplo quod praedicaturus est verbo ». Haec Bernardus. Et Augustinus, VIII *De Trinitate,* cap. 5 [4]: « Debemus credere et firmum

[a] AB *minorem.* [b] A *Dei.* [c] A om. *ex... Augustinus.*

[1] Cap. 11 (PL 40, 297). [2] Cap. 17, n. 27 (PL 44, 168).
[3] Sermo I, n. 1 (PL 183, 115). [4] Num. 7 (PL 42, 952).

atque inconcussum tenere humilitatem, qua natus est Deus ex femina et a mortalibus per tantas contumelias perducetur ad mortem, summum esse medicamentum quo superbiae nostrae sanaretur tumor et altum sacramentum quo peccati vinculum solveretur ». Haec Augustinus. Et Gregorius, in *Pastorali* [1], * ait: « Occasio perditionis nostrae facta est superbia diaboli et argumentum redemptionis nostrae inventa est humilitas Dei. Hostis enim noster, inter omnia conditus, videri super omnia voluit elatus; redemptor noster, magnus manens super omnia, fieri inter omnia dignatus est parvus ». Haec Gregorius. Quamvis enim esset maiestatis dominus ac Deus verus, suae tamen matri subiectus ac ipsi Ioseph patri putativo humiliter paruit. * *Af.74a*

Hanc suis discipulis praecipue commendans dicebat, Matt. 11, 29: *Discite a me quia mitis sum et humilis corde;* postmodum ad lavandum eorum pedes se humiliter inclinavit ipse eorum *Dominus et magister,* ostendens quomodo et ipsi debeant *alter alterius lavare pedes*, ut [a] dicitur Ioan. 13, 14. Ex qua littera, auctoritate et ratione colligitur quod qui vult esse Christi discipulus, inclinare se debet usque ad humilitatis et abiectionis genus extremum. Propter quod

[a] B *et.*

[1] Part. III, cap. 17, n. 18 (PL 77, 78).

et ipse beatus Petrus tantam ad se humilitatem admirans ait[1]: *Domine, tu mihi lavas pedes? non lavabis mihi pedes in aeternum.* Attende quid[a] dicit: *Tu,* inquit, *mihi;* cogitanda sunt ista magis quam dicenda: *tu,* inquit, *mihi,* magister discipulo, dominus servo et, quod est omni admiratione dignissimum, Deus homini, creator creaturae. Cui Dominus ait[2]: *Quod ego facio, tu nescis modo; exemplum enim dedi vobis, ut quemadmodum ego feci vobis, ita et vos*
* *Af.74b* *faciatis.* * Super quo Augustinus[3] ait: « Cum ad pedes lavandos fratris corpus inclinatur, humilitas in animo custoditur; tanta enim est utilitas humanae humilitatis ut eam suo commendaret exemplo etiam divina sublimitas ». Haec Augustinus. Ad[b] ultimum autem *de torrente in via bibens* saturatusque opprobriis,
* *Bf.8dos suum in pulvere ponens*[4], usque * ad mortem vilissimam, crucis videlicet suspendium, se prostravit.

Quis ergo tu es, homo putredo ac filius hominis, vermis, qui erigeris in superbiam, quando vides Dominum maiestatis tam profunde humiliatum? Quis tu es, pulvis et cinis, qui honores

[a] A *qui.* [b] B om.

[1] Ioan. 13, 6-8. [2] Ioan. 13, 7, 15. [3] *In Ioan.*, tract. 55, n. 7, et tract. 58, n. 4 (PL 35, 1787, 1794). [4] Ps. 109, 7; Thren. 3, 29.

et glorias appetis, quando vides dominum, immo et Deum tuum abiectum, consputum, blasphematum et opprobrium hominum factum ita ut se non hominem, sed vermem vocaret, in illo scilicet Psalmo, quem pendens in cruce cantavit [1]: *Ego,* inquit, *sunt vermis et non homo, opprobrium hominum et abiectio plebis.* Propterea Isaias, 51, 7, ait: *Vos qui scitis iustum,* idest Christum, qui solus iustus est omniaque iniuste passus, cum *peccatum non fecerit nec dolus* fuerit *in ore eius,* ut dicitur I Petr. 2, 22; addit Isaias: *Ne timeatis opprobrium hominum neque blasphemias eorum metuatis,* quin potius, secundum Domini sententiam [2], nec *eos timere* debetis *qui corpus occidunt,* cum pacem habere possitis in Christo qui mundum vicit [a] elationemque omnem ac superbiam humilitate superavit.

Quomodo summum gradum humilitatis Christi beatus Franciscus assumere voluit [b].

Hanc ergo abyssalem humilitatis profundita-*tem beatus Franciscus assumere voluit.* *Af. 74c
Nam cum multiplex in eo virtutum praerogativa fulgeret, haec tamen humilitas, quae « custos est

[a] A *vincit.* [b] AB om. *Quomodo... voluit.*

[1] Ps. 21, 7. [2] Matt. 10, 28.

et decor virtutum », potissime in eo resplendere videbatur[1]. Huiusmodi igitur humilitatis excessum ego hic paucis narrare non possem; sed qui *Vitam* eius diligenter perspexerit, clare coniciet quomodo ipse sanctissimus pater in sua propria reputatione nihil erat in oculisque aliorum studebat vilescere socioque suo quantolibet simplici obedientiam promittere solitus erat, ut non maior vel prior diceretur, sed Minorum minimus ac novissimus omnium putaretur.

Super hoc ergo [a] altissimum fundamentum stabilire se volens ac Ordinem suum fundare, fratres suos 'Minores' appellari decrevit ac ipse dici voluit 'frater minor'. Minor autem vere ille est qui, iuxta apostoli Pauli suavissimum documentum[2], omnes *honore praevenit* omnesque alios superiores ac se maiores, nihil *altum* [b] *sapiens*, arbitratur. Unde dicitur 'minor' simpliciter, non ad alicuius alterius comparationem, ut minimus omnium intelligatur. Non enim dictus est beatus Franciscus minor illo vel illo, sed *minimus frater* Ioseph[3], hoc est [c] ipsius Christi. Ioseph enim *vocatus est lingua aegyptiaca salvator mundi*, ut dicitur Gen. 41, 45.

[a] A om. [b] A om. [c] B om.

[1] Cf. S. Bonav. *Leg. mai.*, VI, 1 sq.; S. Bernardus, sermo I *De nativitate*, n. 1 (PL 183, 115). [2] Rom. 12, 10, 16. [3] Gen. 42, 15.

Quomodo fratri Minori dictas virtutes pertinet post beatum Franciscum assumere [a].

Tu ergo quicumque es, qui diceris frater Minor, si vere minor, hoc est vere humilis, esses sicut fuit beatus Franciscus, frater Christi esses ac ei similis fieres, qui est *paulo minus ab angelis minoratus* [1]; si virtutes in tanto gradu in te haberes, * [haberes] has duas potissime, scilicet* *Af.74d* caritatem et humilitatem, quibus et paupertas substernitur, super quas omnes aliae virtutes * fun-* *Bf.9a* dantur et stabiliuntur, per quas aliae omnes custodiuntur et conservantur. Istae enim sunt duae bases argenteae, super quas singulae tabernaculi tabulae eriguntur [2]; hae sunt *duae incastraturae*, quas omnes tabernaculi tabulae habere debent ut possit una alteri ad erectionem tabernaculi copulari, ut dicitur Exod. 26, 17. Si enim, ut Apostolus ait, Ephes. 2, 19, *concives Sanctorum* effici volumus *et domestici Dei,* oportet nos super *angularem lapidem Christum Iesum,* ultra quod non est *aliud ponere fundamentum,* aedificari, super quod *omnis aedificatio constructa* efficitur *templum sanctum* Dei per Spiritum Sanctum; *templum* enim

[a] AB om. *Quomodo... assumere.*

[1] Hebr. 2, 9. [2] Exod. 26, 21.

Dei sanctum sumus, si tamen *Spiritus Dei habitat* in nobis [1]. Hae sunt duae aereae columnae super quas templi altitudo consistit, quas Salomon fecerat quasque feroces Chaldaei, qui *'quasi daemones'* interpretantur, Ierusalem capta fregerunt, ut dicitur Ierem. ultimo, 17.

Nam sine caritate nulla virtus meritum habet, quin immo in nihilum virtutes omnes reputantur nisi caritate informentur, ut optime probat Apostolus, I Cor. 13, 1: *Si linguis hominum loquar et angelorum, caritatem autem non habeam, factus sum velut aes sonans aut cymbalum tinniens* etc. [a]. Lege ibi. Et Augustinus, libro I *De baptismo contra Donatistas* [2]: « *Caritas operit multitudinem peccatorum;* qua absente inaniter cetera
* *Af. 75a* habentur, eadem praesente quaedam * venialiter habentur ». Idem etiam, *Super epistolam Ioannis,* sermone V [3]: « Dilectio sola est, quae discernit inter filios diaboli et filios Dei; quidquid vis, habeas, si autem [b] hanc non habes, nihil prodest ». Haec Augustinus. Et Prosper, in libro *De vita contemplativa* [4]: « Caritas est summa actionum bonarum [c], salus morum,

[a] B om. [b] A om. [c] B post corr., A *bonorum.*

[1] Cf. I Cor. 3, 11; Ephes. 2, 21; I Cor. 3, 17; Rom. 8, 9. [2] Cap. 18, n. 27 (PL 43, 124); I Petr. 4, 8. [3] Tract. V, cap. 3, n. 7 (PL 35, 2016). [4] Est Iuliani Pomerii, *De vita contempl.,* III, cap. 13 (PL 59, 493).

finis caelestium praeceptorum, mors criminum, vita virtutum, causa meritorum bonorum, sine qua nullus Deo placuit, cum qua aliquis peccare non potuit nec poterit, ex qua quidquid est boni operis vivit». Haec Prosper.

Sine humilitate etiam nulla virtus permanet nec stabilis esse potest aut placita Deo: nam, ut dicit Bernardus, in homilia *Super Missus est*[1], «nec beatae Mariae virginitas Deo sine humilitate placuisset». Propter quod et ipsa beatissima Virgo dixit[2]: *Quia respexit Dominus humilitatem ancillae suae*, non virginitatem. Unde Augustinus, in epistola *Ad Dioscorum*[3], ait: «Sola superbia contra cunctas animi virtutes se erigit et quasi generalis ac pestifer morbus omnes corrumpit; idcirco nisi omnia opera nostra quaecumque bene facimus humilitas praecesserit, concomitata et consecuta fuerit, proposita quam intueamur, apposita cui adhaereamus, imposita qua reprimamur, iam nobis de aliquo bene facto[a] gaudentibus, totum de manu extorquet superbia omne quod agitur, si non in humilita-*te sollicite custoditur: sicut enim su- *Af.75b*
perbia origo est omnium criminum, ita est ruina

[a] A *beneficio*.

[1] Hom. I, n. 5 (PL 183, 59). [2] Luc. 1, 48. [3] Epist. 118, cap. 3, n. 22 (PL 33, 442).

omnium virtutum ». Haec Augustinus. Quia, ut dicit Gregorius [1], « pulverem in ventum portat, qui virtutes sine humilitate congregat »; et Hieronymus, super illud Psalmi [2]: *Domine,* * *Bf. 9b* *non est exaltatum cor meum,* * dicit: « Post omnem virtutem humilitatem posuit: frustra enim habemus virtutes, si non humilitate Domini coronentur ». Haec Hieronymus [3]. Nam nobilis ille angelus, omnibus virtutibus ac donis ornatus *omnique lapide pretioso* coopertus, *in viis* suis *perfectus, in deliciis paradisi Dei* existens, ut dicitur Ezec. 28, 13, uno superbiae motu elatus, dum humilitatem perdidit, singulas etiam virtutes amisit et in [a] infernum deiectus aeternis ignibus traditus est cruciandus. Nam, ut dicitur II Petr. 2, 4, *si Deus peccantibus angelis non pepercit, sed rudentibus inferni detractos in baratrum tradidit in iudicium cruciandos reservari,* putas tibi vermiculo superbienti impune cedere posse? Omnes ergo invicem humilitatem insinuate, quia *Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam,* ut dicitur I Petr. 5, 5.

Super his ergo fundari et stabiliri praecipit Moyses noster, scilicet hierarcha beatus Fran-

[a] B om.

[1] *In Evang.,* Hom. 7, n. 4 (PL 76, 1103). [2] Ps. 130, 1. [3] *In Psalm. 133* (PL 26, 1221). Cf. G. Morin, *Anecdota Maredsol.,* III, 252.

ciscus, * omnium mitissimus hominum [1], ta * *Af. 75c*
bernaculum, idest Ordinem ac Regulam suam, secundum quod in monte ubi Christus crucifixus est viderat, cui dictum est, Exod. 25, 40: *Inspice et fac secundum exemplar quod tibi in monte monstratum est.* Nam et mons ille ubi Christus crucifixus est [a] '*visio*' appellatur, quia *usque hodie dicitur: In monte illo Dominus videbit* [2], idest videri faciet; Dominus enim ipse ubique [b] videt, quia *omnia nuda sunt et aperta* [c] *oculis eius* nec est aliqua *creatura invisibilis in conspectu* Dei, ut dicitur Hebr. 4, 13. Vel '*in monte illo*' Alvernae [3], ubi beato Francisco ieiunanti et oranti Christus Iesus crucifixus sub specie Seraph apparere voluit, sicut et ipsi Moysi in monte Sina quondam per angelos Dominus loquebatur.

Nam ipse beatus Franciscus haec Christi vestigia comprehendens, eum reperit ad perfectione; ad quam perfectionem optat [d] nos Apostolus pervenire, cum dicit I Cor. 9, 24: *Sic currite ut comprehendatis.* Attende tamen quod ibi Paulus praedicit: *Omnes*, inquit, *currunt, sed unus*

---

[a] B *est crucifixus.* [b] B *ubique ipse.* [c] B *nuda et aperta sunt.* [d] B *opta.*

---

[1] Cf. Num. 12, 3. [2] Gen. 22, 14. [3] Cf. S. Bonav. *Leg. mai.*, XIII, 3.

accipit bravium. Quis ergo iste unus est sic perfecte sequens ut comprehendat, sic singulariter ac feliciter currens ut bravium ipse solus accipiat? Numquid forte ipse Paulus est? Sed audi quid ipse dicit, Philipp. 3, 12-14: *Fratres, ego me non arbitror comprehendisse; sequor autem, si quo modo comprehendam in quo et*[a] *comprehensus sum*
* *Af.75da* *Christo: non quod iam* * *acceperim aut iam perfectus sim, sed ad destinatum persequor bravium supernae vocationis Dei in Christo Iesu*. Haec Paulus. Si ergo Paulus non est, quis ergo iste est? Ego autem alium non credo, alium non intelligo nisi beatum patrem Franciscum, qui, ut dictum est, *decus morum* factus Christum crucifixum in perfectissimis virtutibus sequens, *dux Minorum* constitutus, passionis Christi triumphale bravium *tenet*[1].

Sed dices fortasse: quomodo possunt eius vestigia ab homine comprehendi et usque ad perfectum reperiri, qui est *excelsior caelo, profundior inferno, latior mari, longior terra,* ut ditur Iob 11, 8-9? *Quid* enim *est homo ut sequi pos-*
* *Bf.9csit* * *regem factorem suum,* ut dicitur Eccle. 2, 12? Sed qui superiora intellexerit, satis, ut extimo, clare [b] videre poterit quomodo beatus pater

[a] A om. [b] A *dare.*

[1] Ex hymno pro secundis Vesperis in festo S. Francisci.

Franciscus ita comprehendit perfecte. Nam longitudinem comprehendit summa paupertate, latitudinem [a] caritate, sublimitatem et profundum humilitate. Haec est illa triplex dieta quam facere debent qui Aegypti tenebras evadere ac Pharaonis servitutem fugere cupiunt, ut Deo vero valeant in solitudine sacrificare, ut dicitur Exod. 8, 27. Hi sunt dimensionum *funes* qui *in praeclaris* Domino *ceciderunt,* sicut Cancellarius Parisiensis in sua prosa [1] ait:

Ceciderunt in praeclaris
mihi funes, in praeclaris
fratribus Minoribus.

In his enim [b] praeclaris vere *hereditas* * Domini* *praeclara* facta *est,* ut dicitur in Psalmo [2], quia Deus *in unamquamque gentem posuit rectorem et pars Dei Israel facta est manifesta et omnia opera illorum velut sol in conspectu Dei et oculi Domini sine intermissione inspicientes in viis eorum,* ut dicitur Eccli. 17, 14-16. *Af.76a*

[a] B *altitudinem.* [b] B om.

[1] Haec invenitur in libro *Cantus varii,* Romae 1902, p. 246sqq. et apud U. Chevalier, *Bibl. liturg.* VII, 388. Alia, ut videtur, dicti Cancellarii prosa *In superna civitate* legitur in eodem libro, p. 250sqq., necnon in periodico sic nominato *La France franciscaine,* X, p. 203. [2] Ps. 15, 6.

Videsne quomodo in ipsis *hereditas* Dei *praeclara* est? Nam cum religiones distinguantur secundum distinctionem diversorum sanctorum Dei a quibus nomen et originem acceperunt, *pars Domini* est *populus* peculiaris *eius, Iacob funiculus hereditatis eius,* ut dicitur [a] Deut. 32, 9. Unde Deus Pater ad Sapientiam incarnatam ait, Eccli. 24, 13: *In Iacob inhabita et in Israel hereditare et in electis meis* [b] *mitte radices.* Iacob iste, verus vitiorum supplantator, qui idem et Israel dictus est, vir scilicet videns Deum sive fortis vel princeps cum Deo [1], vere beatus Franciscus est, qui, licet sit frater minor, hereditatem tamen maioris cum benedictione paterna per *vestimentorum,* idest virtutum, *fragrantiam* est plenarie assecutus, ut dicitur Gen. 27, 27. *Vestes* enim *valde bonae* recte sunt virtutes heroicae summo odore fragrantes, *quas apud se* mater Iacob, Regula scilicet [c] beati Francisci, reconditas habet. Haec est enim Rebecca [2], quae interpretatur '*multum accepit*', quia ipsa sola prae omnibus aliis heroicas virtutes in summo gradu accepit, ut in praecedentibus est ostensum; interpretatur

[a] B om. [b] B *mei.* [c] A om.

[1] Gen. 27, 36 et 32 28. Cf. R. Baco, *Op. mai.*, III, dist. 2, cap. 1 (ed. I. H. Bridges, III, 101 sq.). [2] Cf. Hieronymus, *De nomin. hebraicis* (PL 23, 763 et 1148).

etiam [a] Rebecca '*patientia*': nisi enim virtutes et istae tres potissime, scilicet * paupertas, ca- *Af.76b
ritas et humilitas, per patientiam custodiantur et serventur, sine dubio pereunt.

Hae vestes, licet dicantur esse Esau fratris maioris, non tamen vestitur eas nisi frater minor, qui iuxta praemissa maiori iuste praefertur secundum sententiam Domini dicentis, Gen. 25, 23, quia *maior serviet minori*. Et tu, si Scripturas fueris perscrutatus [1], manifeste invenies minores fratres maioribus sanctitate et bonitate praeferri, sicut in primis duobus fratribus Cain et Abel manifeste apparet. Quod confirmatur Domini sententia [b] dicentis, Matt. 20, 16: *Erunt novissimi primi et primi novissimi;* quod verbum exponens Hieronymus, super illud Eccle. 1, 11: *Non est priorum memoria* * etc., ait: « Quia Deus *Bf.9d
benignus et clemens minorum omnium recordatur, his qui novissimi esse meruerunt non tantam dabit gloriam quantam his qui se humiliantes novissimi in mundo esse [c] voluerunt ». Haec Hieronymus [2]. *Prius* enim *est quod animale, deinde quod spirituale*, ut Paulus ait, I Cor. 15, 46. Unde et Saul, qui maior erat universo populo [3], reprobatus est et electus David,

[a] B *enim*. [b] B om. [c] B add. *meruerunt*.

[1] Cf. Ioan. 5, 39. [2] *In Eccle.* (PL. 23, 1020). [3] Cf. I Reg. 10, 23.

qui minimus inter fratres suos esse perhibetur[1]; propter quod ait David ad filiam Saul, uxorem suam: *Ludam et vilior fiam et ero humilis coram Domino qui elegit me potius quam patrem tuum,* ut dicitur II Reg. 6, 21-22.

Si etiam per Esau intelligamus angelum illum primum, qui superbia tumidus, Dei invidia ple-
* *Af. 76c* nus, avaritia * gloriae depravatus, iuste paradisi delicias quae sibi paratae erant in infernum deiectus perdidit, per Iacob fratrem eius minorem recte accipimus beatum Franciscum, qui paupertate summa, caritate praecipua, humilitate profunda primogenituram maioris hereditare promeruit. Unde cum quadam vice ipse cum socio suo in ecclesia quadam oraret, socius eius in exstasi mentis effectus vidit in caelesti curia sedem praecelsam vacantem omni gloria refulgentem [a]; cumque requireret cuius haec sedes esset, vocem audivit dicentem sibi: « Haec sedes angeli ruentis fuit, quam ipse per superbiam perdidit, et nunc Francisco fratri minori servatur, quia humilitas eius [b] hanc sibi promeruit[2] »; quia, sicut tympanistria nostra

[a] B *fulgentem.* [b] B om.

[1] Cf. I Reg. 17, 14. [2] Cf. *Leg. ant. S. Francisci,* n. 23 (ed. F. Delorme, p. 13sq.); II Cel., n. 122sq.; S. Bonav., *Leg. mai.*, VI, 6.

gloriosa Virgo cantavit, *deposuit* superbos *de sedibus* ut ad eas *humiles exaltaret* [1], et sancta illa Anna similiter concinit, I Reg. 2, 8: *Suscitat,* inquit, *Dominus de pulvere egenum et de stercore erigit pauperem, ut sedeat cum principibus et solium gloriae teneat.*

Nam pro fratre minore ad patrem redeunte *vitulus saginatus* occisus est atque oblatus; cui etiam iubet pater *primam stolam* proferri quam habere non meruit primus frater sive maior nec etiam ulterius reacquirere potuit, quia pro eo nec est haedus oblatus, ut dicitur Luc. 15, 29. Haedus enim significat poenitentiam. * Unde* *Af. 76d* super illud Exod. 12, 5: *Iuxta quem ritum tolletis et haedum,* dicit Hieronymus [2] quod haedus semper pro poenitentibus mactatur. Iste igitur maior haedum non habuit, qui de agro regrediens non intravit ad patrem, sed invidia motus ait: *Nunquam dedisti mihi haedum ut cum amicis meis epularer.* Mente enim caecatus poenitere non potuit, qui patrem dulcissimum orare non novit, sed potius obiurgare quia minorem filium poenitentem recepit, quin immo in patrem piissimum iniurias contumaci animo referens, etiam ipso patre rogante intrare contempsit. Propter quod est iustissime reprobatus,

[1] Luc. 1, 52. [2] *De Exodo, in vigilia Paschae* (ap. *Anecd. Maredsol.* III, 406).

sicut et Esau de agro regrediens, *cupiens hereditare benedictionem, reprobatus est, quamquam cum lacrimis inquisisset eam,* quia *locum poe-*
*Bf. 10a *nitentiae non invenit,* ut dicit Apostolus, * Hebr. 12, 17.

Videsne quia maiores fratres agricolae sunt? sic Cain, sic Esau; minor autem terram non quaerit, sed caelum, cuius *conversatio in caelis est*[1]. Ipsi enim *agricolae et vinitores vestri erunt, vos autem sacerdotes Domini vocabimini, ministri Dei nostri dicetur vobis,* dicit Isaias 61, 5; quia filii Levi partem vel possessionem habere non debent in terra *inter fratres suos*[2], quia Dominus sors eorum est. Propterea Esau homo agrestis erat, Iacob autem homo lenis[3], in tabernaculo manens. Maior semper in agro versatur, in quo ut *inimicus homo zizania superseminare* nititur[4].

In hoc agro Abel a suo fratre maiore occisus
*Af. 77a *est, Gen. 4, 8. Propterea qui-*cumque in hoc tabernaculo Iacob manent, nullo modo ad agrum mundi exeant, Ierem. 6, 25: *Nolite exire ad agros et in via ne ambuletis, quoniam gladius inimici, pavor in circuitu.* *Ager* enim *mundus est,* ut Dominus dicit, Matt. 13, 38: hic enim mundus est *ager* ille *sanguinis*[a] pretio emptus san-

[a] A om.

[1] Philipp. 3, 20. [2] Iosue, 14, 3. [3] Gen. 27, 11. [4] Matt. 13, 25.

guinis Christi, quem Adam primus noster parens possedit nobisque possidendum tradidit pro *mercede iniquitatis,* qui, cum sit *ager figuli,* nonnisi cimiterium est peregrinantium a patria vera [1]. Omni modo intra ipsam religionem se tenere studeant, quia sicut tunc maior frater minori insidiabatur ad mortem, sic et modo. Sic enim iuxta sententiam Domini [2] *maior servit minori;* nunquam enim tantum servisset obsequio quantum servivit odio, nunquam tantum profuisset amore quantum profuit aemulatione. Nec enim Ioseph a fratribus suis maioribus in Aegyptum venditus fuisset, nisi ad agrum errans exisset; unde Gen. 37, 15, dicitur quod *invenit eum* [a] *vir errantem in agro,* cum *fratres* suos quaereret. Ipsa etiam Dina filia Iacob nunquam violata fuisset, si intra [b] patris tabernaculum clausa mansisset; sed exiit, inquit, foras *ut videret mulieres regionis illius,* Gen. 34, 1.

Si autem intra hoc tabernaculum maneas mundum veraciter fugiens, dubitare non debes, quia Dei sapientia *profugum irae fratris iustum deduxit per vias rectas et ostendit illi regnum Dei et dedit illi scientiam sanctorum et honestavit illum * in laboribus et complevit labores illius et* *A f. 77b *in fraude circumvenientium* [c] *illi affuit*; sed quia

[a] B om. [b] A *in terra.* [c] A *venientium.*

[1] Cf. Matt. 27, 7-8; Act. 1, 18. [2] Gen. 25. 23.

dat certamen forte ut vincentem coronet, *non derelinquit iustum, sed liberavit* [a] *eum a peccatoribus;* et si in carcere et *in vinculis* fuerit, illi aderit *donec afferat* [b] *illi sceptrum regni et det illi claritatem aeternam,* ut dicitur Sap. 10, 10. Dominus est [c] enim qui *de laqueo venantium liberat,* ut dicitur in Psalmo [1]. Super quo Hieronymus ait: « Qui sunt, inquit, isti venatores? Nemrod ille gigas magnus venator fuit, *Bf. 10b* et * Esau venator erat, quia peccator erat; et penitus non invenimus in Scripturis sanctis aliquem sanctorum venatorem ». Haec Hieronymus [2]. Digne ergo iste frater minor *dominus fratrum* suorum constitutus est, *ante* quem *incurvari* debent *filii matris* suae.

Vitulus autem ille *saginatus* [3] Christum omni gratia plenum repraesentat. Hic est *vitulus* ille *tenerrimus* de quo Abraham [d], id est Pater excelsus, angelis convivium facit, ut dicitur Gen. 18, 7. Vitulum autem offerre debebat summus sacerdos, ut oraret *pro se et pro domo sua,* ut dicitur Levit. 6, 16. Christus ergo, ipse summus sacerdos et hostia, ipse *se ipsum obtulit immaculatum Deo,* qui *per proprium sanguinem introivit semel in sancta*

[a] B *liberat.* [b] A *afferatur.* [c] A om. [d] A *Abram.*

[1] Ps. 90, 3. [2] *Breviar. in Psalm.* (PL 26, 1097). Cf. *Tract. in Ps. 90* (ap. *Anecd. Maredsol.* III, 68). [3] Gen. 27, 29; Luc. 15, 23, 27.

aeterna redemptione inventa, ut dicitur Hebr. 9, 12, qui et[a] specialiter *pro domo sua* orat[1], idest pro minoribus fratribus. Unde Hebr. 3, 6, ait Paulus: *Christus tamquam filius in domo sua, quae domus sumus nos,* id est Apostoli et apostolici viri, in quibus hereditas eius est, qui sunt *populus peculiaris* eius[2], ut dictum est. De quo Psalmus[3] ait: *Elegit * nobis hereditatem* *A f. 77c
suam; quam autem? *speciem,* inquit, *Iacob, quem dilexit;* ipse enim nos elegit, non nos eum, sicut dicit Ioan. 15, 16: *Non vos me elegistis, sed ego elegi vos et posui vos* etc. Dicit autem: *Elegit nobis,* idest ad nostram utilitatem, non suam, quia bonorum nostrorum non indiget; *Iacob* enim *elegit sibi Dominus, Israel in possessionem sibi,* ut iterum dicit Psalmus; *nonne Deus elegit pauperes in hoc mundo, divites in fide et heredes regni?* ut dicitur Iacob. 2, 5.

Hic est ergo *funiculus hereditatis* Christi, qui sic triplicatus infrangibilis perseverat[4], quia hoc est *tabernaculum quod nequaquam* auferri *potest;* nec *funiculi eius rumpentur,* ut dicitur Isai. 33, 20, *quia solum ibi magnificus dominus Deus noster, dominus iudex noster, dominus rex noster, dominus*

---

[a] A om.

---

[1] Levit. 16, 6. [2] Deut. 7, 6. [3] Ps. 46, 5. [4] Cf. Ps. 104, 11; Eccle. 4, 12.

legifer noster, ut sequitur ibidem. Ipse enim est *sanctorum minister et tabernaculi veri, quod fixit Deus et non homo*, Hebr. 8, 2, quia *pulcra sunt tabernacula Iacob et tentoria Israel* sicut *tabernacula quae fixit Deus*, ut dicitur Num. 24, 5. Haec enim religio speciali praerogativa Christo appropriari debet, in qua ipse principium, auctor et origo est, cum ipse secundum veritatem primus ac verus fuerit frater minor iuxta consummationem omnimodam praedictarum virtutum, quae in ipso perfectissime eluxerunt. Unde cum *facta* esset *contentio inter* discipulos Christi *quis eorum videretur* quod *esset maior, dixit* illis Iesus: *Qui maior est in vobis fiat sicut minor et qui praeceptor est sicut ministrator;* nonne *maior est qui recumbit* quam *qui ministrat? Ego*
* *Af.77d* *autem in* * *medio vestrum sum sicut qui ministrat*, Luc. 22, 26-27. Vide quomodo se aperte minorem nominat, qui et ministrabat. Et Matt. 25, 40-45, dicitur quod Christus *dicet his qui a dex-*
* *Bf.10c* *tris* * *eius erunt: Quamdiu fecistis uni de his fratribus meis minimis, mihi fecistis,* et *his qui a sinistris eius erunt dicet: Quamdiu non fecistis uni de minoribus his, nec mihi fecistis.* Videsne quomodo minores [a] fratres suos specialiter appellat?

Et propterea a [b] nullo sancto haec religio vere denominatur, sed dicitur Regula sive religio fra-

[a] B om. [b] A om.

trum Minorum, id est Christum crucifixum perfecte imitantium [1]. Potest tamen et ab ipso beato patre Francisco denominari, non tamquam a principio vel auctore, sed ut a Christi potius nuntio vel ministro. Unde ipse primus minister huius Ordinis noluit appellari, iuxta illud Matt. 20, 26-28: *Quicumque voluerit inter vos maior fieri, erit vester minister, et qui voluerit primus esse, erit vester servus: sicut Filius hominis non venit ministrari, sed ministrare et dare animam suam redemptionem pro multis.* Et Luc. 9, 48 dicitur: *Qui minor est inter vos, hic maior est.* Propter quod Eccli. 3, 20, dicitur: *Quanto* maior *es, humilia te in omnibus,* quia *est propter gloriam* [a] *minoratio* et [*est*] *qui ab humilitate levabit caput,* ut dicitur Eccli. 20, 11. Beatus enim Franciscus vere est legatus ille a latere Christi missus ad gentes, de quo dicitur Ierem. 49, 14 et Abdiae 1, 1, sicut *stigmata* vulnerum passionis Christi, quae *in corpore* suo *portat* [2], evidentissime probant. Et si *diligenter in libro Domini* quaeris, quod *ex ore* suo *processit,* ipse Christus *mandavit et Spiritus eius,* ut dicitur ** *Af.78a* Isai. 34, 16. Hic est enim ille Othoniel, qui interpretatur '*signum Dei mei*', *frater Caleph mi-*

[a] B *regulam.*

[1] Cf. *Leg. ant. S. Francisci,* n. 67 (ed. F. Delorme, p. 39).
[2] Gal. 6, 17.

nor, ut dicitur Iudic. 1, 13; Caleph autem [a] interpretatur '*canis*', significans apostolos iuxta illud Psalmi: *Lingua canum tuorum* etc.

Ad hanc ergo virtutum perfectionem optat nos Apostolus pervenire hancque consummationem apprehendere, cum dicit Ephes. 3, 17-18: *In caritate radicati et fundati, ut possitis comprehendere cum omnibus sanctis quae sit longitudo, latitudo, sublimitas et profundum.* Quod si possibile non esset, hoc Apostolus in vanum dixisset, quod non est aliquo modo de tanto doctore sentiendum. Quod verbum tractans Augustinus, in libro *De gratia Novi Testamenti* [1], ait sic: « Hinc saturantur pauperes non *sua quaerentes*, sed *quae Iesu Christi* [2]; *quae sit,* inquit, *latitudo* in bonis operibus, quibus benevolentia porrigitur usque ad diligendos inimicos; *longitudo,* ut longanimiter molestiae tolerentur: non inconvenienter saturatus dicitur paupertate Christi, qui pro [b] iustitia omnia temporalia non solum temperanter relinquit et contemnit bona, verum etiam patienter sustinet mala; *altitudo,* ut aeternum quod in supernis est praemium, non vanum aliquid temporale, speretur. In hoc mysterio signum crucis ostenditur: qui enim

[a] B *enim.* [b] A om.

[1] Cap. 26, n. 63-66 (PL 33, 565 sq.). [2] Cf. Philipp. 2, 21.

quia voluit mortuus est, non frustra tale genus mortis elegit nisi in eo quoque longitudinis, latitudinis et profunditatis magister existeret ». Huc usque * Augustinus. Ubi satis clare* *Bf.10d*
ostendit Apostolum in praedictis verbis intellexisse ac exprimere voluisse virtutes in summo gradu perfectas, quae in cruce Christi potissime claru *erunt, scilicet paupertatem summam, cari-* *Af.78b*
tatem praecipuam, humilitatem veram.

Quid est fratrem Minorem tres virtutes praedictas in summo gradu perfectas assumere [a].

Age ergo nunc ex praedictis. Quae est ergo longitudo? *longior,* inquit [1], *terra;* et quid est longius terra? nisi quod terram supergreditur, quod terram excedit. Hoc vere facit paupertas summa, quae terram spernit, omnia terrena abicit [b], ultra terram se extendit, supra terram longe aliud quaerit; haec est longitudo longior terra, quae nullum terminum in terra invenit, nullum amorem in terra figit. Nam si longitudo terminum habet, terminus eius [c] non nisi punctus est; talis autem punctus nunquam facit caelum attingere, sed potius ad inferna descendere, quia, iuxta sententiam Domini [2], qui divitias ha-

[a] AB om. *Quid... assumere.* [b] B add. *et.* [c] B *est.*

[1] Iob 11, 9. [2] Matt. 19, 23; Marc. 10, 25; Luc. 18, 25.

bent non intrabunt *in regnum caelorum;* de quibus Iob 21, 13 dicitur: *Ducunt in bonis dies suos et in puncto ad inferna descendunt.*

Iste est ille punctus qui terra est et in terra figitur: terra enim respectu caeli nonnisi punctus est. Per terram enim amorem terrenorum intelligo. Unde Apostolus ait, Philipp. 3, 7: *Quae mihi fuerunt lucra, haec arbitratus sum propter Christum detrimenta; omnia enim detrimentum feci et arbitror ut stercora, ut Christum lucrifaciam; quae quidem retro me sunt obliviscens, ad ea quae sunt anteriora extendens me ipsum.* Quod verbum tractans Gregorius, *Super Ezechielem,* ait, homilia III[a]: «*In anteriora* etenim[b] *extentus* eorum *quae retro sunt* oblitus fuerat, quia temporalia despiciens quae sola aeterna sunt requirebat». Haec Gregorius[1]. Et sequitur ibi Paulus: *Quicumque ergo*[c] *perfecti sumus, hoc sentiamus ut idem sapiamus et in eadem regula*
* *Af.78c* *permanea-*mus;* et sequitur: *Gloria in confusione eorum qui terrena sapiunt, nostra autem conversatio in caelis est.* Quod[d] verbum tractans[e] Augustinus, IX *De Trinitate,* cap. 1, ait: «Perfectionem in hac vita dicit non aliud

[a] B om. *homilia III.* [b] B *enim.* [c] B *enim.*
[d] A *qui.* [e] A *retractans.*

[1] Loc. cit., n. 17 (PL 76, 813).

quam ea *quae retro sunt oblivisci* et in ea quae ante sunt *extendi* secundum intentionem; tutissima enim quaerentis intentio, donec apprehendatur illud quo tendimus et quo extendimur ». Haec Augustinus[1].

Nullus enim pro Christo vere pauper fieri potest, nisi virtutem longanimitatis habeat, quae eum longiorem terra faciat. Propter quod Isai. 58, 14 dicitur: *Tunc delectaberis super Domino, substollam te super altitudinem terrae et cibabo te hereditate Iacob patris tui.* Quis sit iste Iacob pater tuus et quae hereditas eius, supra dictum est[a]. Et in Psalmo[2]: *Viderunt omnes fines terrae salutare Dei nostri;* super quo Hieronymus[3] dicit: « Quamdiu in medio terrarum[b] sumus, Deum videre non possumus; quando vero quasi relinquimus terram et in summitate sumus, tunc meremur videre Deum ». Haec Hieronymus. Haec est ergo prima dimensio.

Secunda autem est latitudo. Quae autem est latitudo? Audi: quia *latior mari*[4]. Per mare autem intelligitur * amor carnalis. Quid autem est latius[c] mari? nisi quod mare excedit, ultra mare *Bf. 11a

[a] A om. [b] B *terre.* [c] AB *latior.*

[1] Loc. cit., n. 1 (PL 42, 960 sq.). [2] Ps. 97, 3.
[3] *Breviar. in Psalm.*, Ps. 97 (PL 26, 1119 sq.). Cf. *Anecd. Maredsol.* III, p. 145 sq. [4] Iob 11, 9.

transit. Amor autem carnalis, scilicet consanguineorum [a], propinquorum, amicorum, sine dubio iste amor mare non transit, intra mare est, ideo ad Christum non pervenit. Nam ut Dominus ait, Matt. 5, 46: *Si diligitis eos qui vos diligunt, quam mercedem habebitis? Nonne et publicani hoc faciunt?*

Sed quis est qui istud mare transit? Qui sci-
* *Af. 78d* licet Christi caritatem habens non solum * propinquos diligit, sed extraneos, etiam [b] ultramarinos, omnes universaliter homines, sicut Christus pro omnibus universaliter passus est. Videsne quomodo *latior* est *mari*, quomodo ipsam maris latitudinem transit? Nam latitudo maris ad lineam terminatur, quia omnis latitudinis terminus linea est. Sic qui sibi coniunctos secundum lineam consanguinitatis vel affinitatis tantum diligit, utique mare non excedit, quia ad lineam terminatur; sed qui non solum consanguineos, non solum affines, non solum amicos, sed alienos, sed inimicos, sed suos persecutores diligit, sicut supra de Christo ostensum est, huius [c] dilectio maris latitudinem excedit, ad lineam non terminatur, immo nullum terminum habet, quia caritas *finis* est *omnis consummationis*. Unde Psalmus [1] ait: *Omnis consummationis vidi*

[a] B add. *et amicorum.* [b] B *et.* [c] A *hec.*

[1] Ps. 118, 96.

finem, latum mandatum tuum nimis. Hic vere caritatem habet, hic ad Christum pervenit. Propter quod Augustinus, *Super epistolam Ioannis,* sermone VIII[1], ait: « Extende dilectionem ad proximos, extende ad ignotos, qui tibi nihil mali fecerunt; transcende et ipsos, et[a] perveni ut diligas inimicos »; et in[b] infra, sermone X[2]: « Extende caritatem per totum orbem, si vis Christum amare, quia membra Christi per totum orbem iacent ». Haec Augustinus.

Et hanc dilectionem, ut dictum est, significat hoc nomen 'frater', quod simpliciter ac sine determinatione dictum omnes caritatis vinculo nectit, quia haec caritas omnes filios unius patris Dei constituit. Unde ad hanc exhortans Dominus, Matt. 5, 34, ait: *Diligite inimicos vestros et bene facite his qui oderunt vos et orate pro persequentibus et calum-***niantibus vos, ut sitis** *Af.79a* *filii patris vestri qui in caelis est*[c], *qui solem suum oriri facit super bonos et malos et pluit super iustos et iniustos; estote perfecti sicut et pater vester caelestis perfectus est.* Et beatus Franciscus in Regula[3] sua hoc verbum[d] posuit. Quid autem est dicere: *Ut sitis filii,* nisi

[a] A om. [b] A om. [c] A om. *qui in caelis est.* [d] B *hoc verbum in Regula sua.*

[1] Num. 4 (PL 35, 2038). [2] Num. 8 (PL 35, 2060).
[3] Cap. 10. Cf. *Opusc. S. P. Francisci Assis.*, p. 73.

ut sitis dilecti? Filius enim dicitur a φίλος[a], quod est *amor,* quia filius vere est amor parentum. Unde Dominus ait, Matt. 23, 8: *Omnes vos fratres estis et patrem nolite vocare vobis super terram; unus est enim pater vester, qui est in caelis.* Haec est ergo secunda dimensio.

Tertia autem dimensio est sublimitas et profundum. Credo enim quod per ista duo una tantum dimensio ostendatur. Tres enim sunt dimensiones quae perfectum faciunt corpus, scilicet longitudo, latitudo et profunditas sive sublimitas, nec possunt esse plures, sicut perito
Bf. 11b in mathematicis * patet et Philosophus ostendit in principio libri *De caelo et mundo* [1]. Augustinus etiam, in libro *De gratia Novi Testamenti* [2], hoc verbum Apostoli tractans: *Quae sit longitudo* etc. dicit quod « altitudo commune nomen est excelso et profundo ». Sublimitas ergo et profundum eamdem distantiam dicunt secundum diversos terminos diversimode nominatam, sicut a caelo ad terram et a terra ad caelum nonnisi una distantia est, quae ratione caeli dicitur altitudo, ratione terrae dicitur profunditas. Quae autem est ista distantia? *excelsior,* inquit, *caelo, profundior inferno.* Haec vere

[a] A *filios.*

[1] Cap. 1, text. 2 et 3. [2] Cap. 25, n. 62 (PL 33, 564).

humilitas est, quae[a] profundissima est et altissima est.

Sed cum infernus sit in centro terrae quod est et centrum mundi, * nihil videtur esse posse* *Af. 79b* inferno profundius. Nam et Iob 17, 16 dicit: *In profundissimum infernum descendunt omnia mea;* profundius autem profundissimo nihil est. Quomodo ergo dicitur *profundior inferno*[b]? Ego autem puto quod, quamvis infernus profundissimus sit nec sit aliud eo profundius, tamen eius profunditas terminum habet, numerum et mensuram. Profunditatis autem terminus nonnisi superficies esse potest. Superficies autem aliquid exterioris gloriae sive superbiae significare videtur. Propter quod omnis profunditas, quae terminum habet, ab ambitione omnino immunis esse non potest. Sed vera humilitas in profunditate nunquam terminum ponit, quia nullam superficiem quaerit, sed tantum se subicit quantum potest et adhuc, si plus posset, plus se subiceret.

Et hanc profunditatem interminabilem vere significat hoc nomen ‘minor’, quod simpliciter et sine determinatione dictum omnibus universaliter substernit, etiam sub inferni profunditate. Quis est autem qui se sub inferno prosternit? nisi qui semper de se humilia sentiens,

---

[a] A om. [b] A om.

nullum sibi virtutis vel bonitatis alicuius meritum adscribens, nullam scientiae investigationem sibi approprians, de nulla nobilitate vel dignitate seu etiam praelatione sibi applaudens, iugiter se abiciens, vere de abiectione gaudens, maximum se reputat omnium peccatorum. Videsne quomodo talis profunditas nullam superficiem habet? sicut dicit Dominus, Luc. 17, 10: *Cum feceritis omnia quae praecepta sunt vobis,* * *Af.* 79c *dici-*te: servi inutiles sumus,* quod debuimus facere fecimus. Maximi autem peccatores in profundissima parte inferni ponuntur. Unde et beatus pater Franciscus, cum interrogaretur a fratre illo qui eum ad gloriosam sedem sublimandum viderat, ut dictum est supra [1], quid de se ipse sentiret, respondit: « Videor, inquit, mihi maximus [a] peccatorum ». Videsne quomodo iste, inter Minores minimus, se sub inferno prostravit? Propter quod et in sua Regula [2] dicit quod « *unusquisque iudicet et despiciat semetipsum* ».

Sed quia, secundum Domini sententiam [3], *qui se humiliat exaltabitur,* vere haec profunditas *excelsior caelo* est: quia sine dubio sicut sub inferno humiliat, ita super caelos exaltat; sicut

[a] AB *maximum.*

[1] Cf. supra, pag. 88, not. 2. [2] Cap. 2. Cf. *Opusc. S. P. Francisci Assis.*, p. 65. [3] Luc. 14, 11.

sub peccatoribus prosternit, ita super sanctos sublimat.

Hanc profunditatem et altitudinem vere noverat ille, qui dicebat in Psalmo [1]: *Suscitans de terra inopem et de stercore * erigens pauperem,* *Bf. 11c *ut sedeat cum principibus et solium gloriae teneat.* Super quo Hieronymus [2] ait: « Alti sunt sancti, cum humiles in terra caelestia contemplantur; quando humiliantur in activa, elevantur in contemplativa, ut illi qui in terra sunt humiles, apud Deum sunt alti ». Idem quoque Hieronymus, super illud [a] Psalmi [3]: *Si non humiliter sentiebam, sed exaltavi animam meam,* dicit: « Humilis quidem est corde, sed excelsus est sensu; humiliter sentit in saeculo, sed animam exaltat in caelo ». Haec Hieronymus. Et Gregorius, in *Pastorali* [4], ait *: « Nihil est *Af. 79d* humilitate sublimius, quae, dum se in ima deprimit, Auctori suo per summa coniungitur; dicatur ergo humilibus, quod, cum se deiciunt, ad Dei similitudinem ascendunt ». Haec Gregorius. Hoc etiam clare ostendit Dominus, Matt. 18, 3; cum inquisitus esset a discipulis *quis maior esset in regno caelorum,* respondit:

[a] A *illos.*

[1] Ps. 112, 7. [2] *Breviar. in Psalm.*, Ps. 112 (PL 26, 1172). [3] Ps. 130, 2. Cf. Hieronymus, *Breviar. in Psalm.*, Ps. 130 (PL 26, 1215). [4] Part. III, cap. 17, adm. 18 (PL 77, 78).

Nisi conversi fueritis et efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum caelorum; quicumque ergo humiliaverit se sicut parvulus iste, hic maior est in regno caelorum, idest sicut iste minor, sicut iste minimus. *Gloriam* enim *praecedit humilitas,* ut dicitur Prov. 15, 33 et [23, 33]: *Humilem spiritu suscipiet gloria* [a] et Iob 22, 29: *Qui humiliatus fuerit, erit in gloria.* Propter quod et ipse Christus, ut hanc impleret humilitatem, inferiores partes terrae penetrans usque ad inferos descendit, qui et ipse postmodum super omnes caelos ascendit. Unde Ephes. 4, 9, dicitur: *Quod autem ascendit* [b], *quid est? nisi quia et descendit primum in* [c] *inferiores partes terrae; qui descendit ipse est et qui ascendit super omnes caelos ut adimpleret omnia.* Haec ibi.

Attende si non hanc virtutum perfectionem habuit beatissimus Ioannes Baptista, qui secundum veritatem et ipse extitit frater minor; qui cum tantus ac talis esset ut turbae ipsum esse Christum crederent et, ut ipse Salvator de eo testatur, Matt. 11, 11: *Inter natos mulierum eo* [d] *non surrexit maior;* inquisitus tamen quis esset, ut dicitur Ioan. 1, 19, non [e] aliquid subsistens se esse respondit nec etiam infernum vel
* *A f. 80a* inferno dignum * se asserere voluit. Nam infer-

[a] A om. *et... gloria.* [b] B *descendit.* [c] B om. [d] B om. [e] A om.

nus, licet profundissimus, tamen aliquid est, et qui inferno dignus est, licet vilissimus, tamen aliquid est et in eo quod est, utique bonum est: omnis enim creatura Dei bona, quia *vidit Deus cuncta quae fecerat et erant valde bona* [1]. Sed quod nihil est de se, etiam nec ipsius esse bonitatem habet. Quid ergo es, Ioannes beatissime, ut his qui me attendunt respondeam? *quid dicis de te ipso? Ego*, inquit [2], *vox clamantis in deserto: parate viam Domini.* Non dicit: Ego sum clamans voce, hoc enim aliquid magni esset, sed *vox clamantis*. Quid est autem vox? omnino nihil: vox prolata perit nec amplius sumi potest; sonus quidem percussi aëris, ipsa percussione pertransiens. « Verberato enim aëre transit, nec diutius manet quam sonat », ut Augustinus dicit, II *De doctrina christiana* [3]. Vox autem de se nec puncto finitur nec linea clauditur nec superficie terminatur: terram[a] enim non diligit, quia non potest esse in terra, sed in aëre; consanguineos non discernit, sed adstantes omnes aequaliter contingit; honorem vel gloriam non quaerit, nam et ad ima sicut ad alta pervenit.

Propter quod qui bene attendit manifeste coniciet qualiter beatus Ioannes in praedicta re-

[a] B *terra.*

[1] Gen. 1, 31. [2] Ioan. 1, 23. [3] Cap. 4, n. 5 (PL 34, 38).

sponsione nullatenus est mentitus, sicut quidam *Bf.11d*delirantes * putaverunt, sed humili verbo suam perfectionem circumvelavit, ut verum dicendo nullam superbiae vel gloriae occasionem daret, *Af.80b*quia cum tantae virtutis * esset ut Christus credi potuisset, nisi solide in se humilitatis spiritu perstitisset, supra se inaniter raptus fuisset. Unde Gregorius, in homilia super illud Evangelii [1], ait: « Cum Ioannes non vult appetere nomen Christi, factus est membrum Christi, quia dum infirmitatem suam studuit humiliter agnoscere, illius celsitudinem meruit veraciter obtinere ». Haec Gregorius. Propter quod et [a] ipse in deserto loco constitutus, mundo totaliter exilis et vacuus, recte in altum ut arundo se tollens, nullius venti impulsu potuit agitari. Augustinus etiam, *Super Ioannem*, homilia IV [2], ait: « Nihil humilius isto praecone: nullum tantum meritum Ioannes habuit quantum de ista humilitate, quod cum posset fallere homines et haberi pro Christo, *confessus est et non negavit* ». Haec Augustinus.

Vide autem quomodo intelligas verbum illud: *Inter natos mulierum*, ut inde excludas Christum cum Maria matre sua. Casus namque excludit

[a] A om.

[1] *In Evang.*, hom. 7, n. 1 (PL 76, 1099). [2] Seu Tract. IV, n. 6 (PL 35, 1408); Ioan. 1, 20.

Christum, sexus excludit Mariam: casus, quia Christus nascendo non cecidit, propterea nec surrexit, quia sine peccato conceptus et natus. Solus enim Emmanuel de Virgine natus *butyrum et mel comedit ut* omne *malum reprobare* posset *et bonum eligere,* ut dicitur Isai. 7, 15; Ioannes autem cecidit, qui utique in peccato conceptus, licet gratia Dei in utero sanctificatus [a] surrexerit; propter quod dicit: *Non surrexit* [b]. Sexus autem excludit Mariam, quae utique non mulierum natus, * sed nata; propter* quod dixit: *Inter natos.* *Af. 80c

Clare ergo vides, ut extimo, ex praedictis, qualiter beatus Franciscus Christi vestigia comprehendens eum reperit ad perfectum. Idcirco ipsi Christo assimilatus est: quia *perfectus omnis erit si sit* [c] *sicut magister eius* [1]; *magister* autem *unus est Christus,* ut dicitur Matt. 23, 10. Unde vere dicere potest quod dicitur Iob [d] 23, 11-12: *Vestigia eius secutus est pes meus, viam eius custodivi et non declinavi ex ea, a mandatis labiorum eius non recessi.* Et exponit hoc Gregorius [2] proprie de humilitate Christi. Unde super illud Iob 22, 15: *Numquid semitam saecu-*

[a] B *sanctificatus in utero.* [b] B om. *propter quod dixit: Non surrexit.* [c] A om. [d] B om.

[1] Luc. 6, 40. [2] *Moral.,* XVI, c. 33, n. 41 (PL 75, 1141 sq.).

Iorum custodire cupis, quam calcaverunt viri iniqui[a]*?* dicit Gregorius[1]: « Sicut semita Redemptoris humilitas, sic[b] *semita*[c] *saeculorum* superbia ». Haec Gregorius. Nam sicut tres dimensiones perfectum faciunt corpus, sic tres dictae dimensiones[d], quae sunt vestigia Christi, in Christum transformant perfecte; et propterea beatus Franciscus in ipsum Christum est corporaliter transformatus, quia Christus in eo non solum in corde per fidem, sed perfecte secundum tres dimensiones praedictas corporaliter habitavit.

Sicut enim, quia divinitas secundum triplicem gratiam in Christo quasi secundum trinam dimensionem habitavit, dicit Apostolus, Col. 2, 9
* *Af. 80d* quod in eo * *habitat omnis plenitudo divinitatis*[e] *corporaliter;* quia in eo fuit divinitas per gratiam singularis personae, quae est intensissima longitudo, quia datus est ei *Spiritus non ad mensuram,* immo *unxit eum Deus Spiritu Sancto* et virtute, *prae participibus tuis*[2]; super quem etiam Isaias[3] dicit septiformem Spiritum quievisse. Et[f] in evangelio Nazaraeorum dicitur: *Cum ascendisset Iesus de aqua, descendit fons*

---

[a] B add. *inquid.* [b] B om. [c] A *semitas.* [d] A om. *perfectum... dimensiones.* [e] A *divinitas.* [f] B *ut.*

---

[1] *Moral.*, XVI, c. 9, n. 13 (PL 75, 1127). [2] Ioan. 3, 34; Act. 10, 38; Hebr. 1, 9. [3] Isai. 11, 2-3.

omnis Spiritus et requievit super eum, et dixit ei: Expectabam te, fili, in omnibus prophetis ut venires et requiescerem in te; tu enim es requies mea[1]. Per gratiam capitis, quae est amplissima latitudo, per quam, * ut Apostolus dicit, Col. 1, *Bf.12a
18 et 2, 10 et Ephes. 1, 22, factus est *caput super omnem ecclesiam* non solum militantem, sed etiam triumphantem, non solum terrenam, sed caelestem, non solum humanam, sed angelicam, non solum temporalem, sed aeternam, quia *data est*[a] ei *omnis potestas in caelo et in terra,* ut dicitur Matt. ultimo, 18. Per gratiam unionis, quae est profunditas altissima et altitudo profundissima, ita ut secundum eam dicamus Dei filium verum Deum, aequalem utique Patri, crucifixum, mortuum et sepultum, usque ad infernum descendisse. Nonne est haec profunditas ma-*xima? Sed secundum eamdem gratiam est *Af.81a
altitudo summa, ita ut secundum eam vere dicamus Iesum Christum, filium Virginis matris, hominem verum ex carne humana animaque rationali compositum, a mortuis surrexisse, in caelum ascendisse, ad dexteram Dei Patris sedere indeque[b] ad iudicium venturum vivos et

[a] B om. [b] B *idemque.*

[1] Haec iam leguntur quasi ad verbum apud Hieronymum, *In Isai.*, XI, 2 (PL 24, 144 sq.). Cf. A. Schmidtke, l. c., n. 33, p. 38, et M.-J. Lagrange, l. c., n. 37, p. 330.

mortuos iudicare ac ipsum Filium Dei esse. Nonne est haec [a] altitudo infinita? Hoc est quod Apostolus ait, Philipp. 2, 8-11: *Humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis, propter quod et Deus exaltavit illum et donavit illi nomen quod est super omne nomen, ut in nomine Iesu omne genu flectatur, caelestium, terrestrium et infernorum, et omnis lingua confiteatur quia Dominus noster Iesus Christus in gloria est Dei Patris;* et ad Hebr. 2, 9 dicit: *Eum, qui modico quam angeli minoratus est, videmus Iesum propter passionem mortis gloria et honore coronatum* omniaque subiecta *sub pedibus eius,* qui *et excelsior caelis factus est,* ut dicitur infra, Hebr. 7, 26.

Ita quia summa paupertas, eximia caritas, profundissima humilitas, quae in Christo eluxerunt maxime tempore passionis, ut est dictum, in
* *Af. 81b* beato Francisco fuerunt verissime, * secundum quas ipsum Christum crucifixum perfecte sibi univit et [b] *veterem hominem cum actibus suis omnino expolians, novum hominem qui secundum Deum* [c] *creatus est induere* [1] studuit; propter quod et ipsi Christo crucifixo meruit incorporari perfecte ac in ipsum Crucifixum mirifice transformari, sicut in infra melius apparebit.

[a] B *hec est.* [b] AB *ut.* [c] A om.

[1] Col. 3, 9-10.

Tu ergo, qui Minor diceris. qui *parvulus et contemptibilis in gentibus* datus es, ut dicitur Ierem. 49, 15 et Abdiae 1, 2, cave diligenter ne, ut ibi dicitur, *arrogantia* tua *te decipiat,* ne *superbia cordis tui* elevet te, ne cum *exaltatus* putaris *ut aquila* propter * sublimium speculationem* *Bf.12b* et inter sidera *nidum* ponere propter caelibem et angelicam conversationem, *inde Dominus detrahat te* atque tibi dicatur quod illi superbo dictum est, Isai. 14, 11: *Detracta est ad inferos superbia tua, concidit cadaver tuum, subter te sternetur tinea et* [a] *operimentum tuum erunt vermes.* Hoc enim dictum est illi angelo qui noluit esse minor, sed maior, ut dictum est supra. Unde Origenes dicit, homilia V, *Super Genesim* [1], de Lot et filiabus: « Observare, inquit, debes, ne forte cum effugeris flammas saeculi et incendia carnis evaseris, etiam in montem, ad scientiae scilicet vel vitae altitudinem, ascenderis, * ne tibi insidientur duae filiae istae quae* *Af.81c* a te non discedunt, id est vana gloria et maior soror eius superbia; vide ne te dormientem, dum tibi nec sentire nec intelligere videris, amplexibus veris [b] suis stringant. Quae nostrae filiae dicuntur, quia de actibus nostris nascuntur,

[a] A om. [b] B om.

[1] Num. 6 (PG 12, 194).

non ab extrinseco nobis superveniunt. Vigila ergo, ne de his generes filios, quia qui de his nati fuerint, non intrabunt in ecclesiam Dei ». Haec Origenes. Nam filii Lot et filiarum eius *Ammonites et Moabites, qui non intrant in ecclesiam Dei, etiam in aeternum,* ut dicitur Deut. 23, 2.

Sed attende cura praecipua, sollicitudine diligenti, ut sis secundum nomen tuum, scilicet frater Minor, rebus spoliatus, paupertate vestitus, humilitate clarus, caritate praecipuus omnique morum honestate conspicuus, ut imitator effectus Christi Iesu, veri scilicet et primi fratris Minoris, ac ipsius praecipui sectatoris patris nostri Francisci, tibi sit mundus crucifixus et tu ipse mundo vereque dicere valeas: *Mihi absit gloriari nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi,* Gal. ultimo, 14, ut *proposito* tibi *gaudio* aeterno, ut Paulus dicit, Hebr. 12, 2, *temporali confusione contempta,* quae in cingulo sacci, quod chorda est, ostenditur, per quam asini ligantur et latrones suspenduntur, Christi crucem gaudenter accipias, poenitentiam scilicet asperam, quae in habitu sive tunica significatur, quae rudem ac duram habet materiam
Af. 81d et in forma crucis figuram, bracas * retineas, quibus scilicet conteguntur pudenda, ut nihil immundum, nihil turpe nihilque in te inhonestum appareat. Nam quae ignobiliora membra

sunt corporis, abundantiori honore circumdanda sunt, ut *quae inhonesta sunt abundantiorem habeant honestatem,* ut Paulus ait, I Cor. 12, 23; propter quod et pontifices, cum erant templum Domini ingressuri, femoralibus lineis indui ** *Bf. 12c* iubentur, ut dicitur Exod. 28, 42 et Levit. 16, 4, ne scilicet eorum turpitudo reveletur.

Ut ad virtutum apices conscendere valeas, quo nonnisi per scalam conscenditur, crucem videlicet, cui Dominus Iacob, idest beato Francisco, innixus apparuit [a], Gen. 28, 13, in monte Bethel, idest in religione, in qua vere Dominus habitat [b], calceamenta abicias, quia ut dicitur Exod. 3, 5, hic *locus in quo stas* vere *est terra sancta* [c]. *Religio* enim *munda et immaculata* fratrum Minorum, spiritualibus hostibus *terribilis ut castrorum acies ordinata, non est aliud nisi domus Dei et porta caeli,* in qua ignis caritatis Dei quem Filius Dei *in terram mittere venit* [1], in rubo, idest in asperitate et humilitate vitae, ardet inextinguibiliter, quia nunquam talis rubus consumitur, ad quem qui accedere vult, iuxta praeceptum Domini ipsi Moysi de rubo factum et Iosue ministro eius repetitum ab angelo, Ios. 5, 16, ac postmodum, *ut in ore*

[a] B *apparuerit.* [b] AB add. *ubi.* [c] B *terra sancta est.*

[1] Iac. 1, 27; Cant. 6, 3; Gen. 28, 17; Luc. 12, 49.

duorum et trium testium staret omne verbum[1], ipsis Apostolis per Dominum nostrum Iesum
*Af. 82a Christum re-*plicatum, calceamenta deponere debet, quia *terra sancta* vere *est* ipsa religio, *sancta Sanctorum*[2]. Vere enim iste est *locus solii*[a] Domini *et locus vestigiorum pedum* eius, *ubi* Dominus *habitat in medio filiorum Israel in aeternum*, ut dicitur Ezech. 43, 7. Quibus omnibus ornatus interius et exterius, ut audisti, in veritate eris ac dici mereberis[b] frater Minor.

Satis igitur, ut puto, ex praedictis claret qualiter frater Minor per actum perfectae caritatis, Dei scilicet dilectionis et proximi, ipsius Dei sit praecipuus cultor. Sed quia, iuxta sententiam Domini[3], *nemo potest duobus dominis servire*, Deo scilicet et mundo vel iniquitatis divitiis, quin immo necesse est ut alter decidat, quia *pallium breve* caritatis *utrumque cooperire non potest*[4], oportet ut sit etiam per actum summae paupertatis verus mundi contemptor. At quia Dominus summe superbiam execratur, oportet ut eius cultor omnino superbiam fugiat atque necesse est ut sit sui ipsius despector, ut ita sit servus Dei perfectus per caritatem omnes delicias ac carnis lascivias execrans, per

[a] AB *socii*. [b] A *membris*.

[1] Matt. 18, 16. [2] Exod. 3, 5; Levit. 14, 13.
[3] Matt. 6, 24. [4] Isai. 28, 20.

paupertatem mundi divitias aspernans, per veram humilitatem honores ac gloriam omnino declinans.

Haec est ergo fratris Minoris omnibus supra dictis venata definitio nihil superfluum continens vel diminutum: * frater Minor est Dei * cultor praecipuus, mundi contemptor verus, sui despector assiduus, crucis signaculo habitu insignitus. *Bf. 12d *Af. 82b

Haec autem particula ultimo posita est sicut accidens, quia licet substantiam non determinet, ipsam tamen declarat et manifestat. Nam, secundum Philosophum [1], « accidens confert ad cognitionem quod quid est ». Ita haec particula « crucis signaculo habitu insignitus », licet fratrem Minorem non constituat, quia vestis exterior sanctum non facit, ipsum tamen notificat et declarat ab aliis distinguendo religiosis. Quia [a], licet praedictas virtutes habeant, non tamen in illa perfectione quam Christus in cruce ostendit, secundum quod eas fratres Minores retinent, sicut est in superioribus declaratum; et propterea non est alicuius religionis habitus qui ita expressam gerat crucis figuram sicut felix tunicula sanctorum fratrum Minorum, de

[a] A *qui*.

[1] Aristot., *De anima*, I, cap. 1, text. 11.

quibus sacer doctor Gregorius Nazianzenus ante multos[a] iam annos sic quasi prophetando loquitur[2]: « Desiderabam, inquit, et intentis ac pendentibus oculis requirebam videre cupiens sanctorum[b] illum psallentem chorum laudem et gloriam offerentium Deo, qui *in lege* Domini *meditantur die ac nocte*[3], qui ad exemplum et commonitionem et cognitionem[c] melioris vitae omnibus vivunt legis Dei atque evangelii Christi praedicatores, in quibus ipse habitus praefert virtutis insignia, pedes nudi et apostolicis similes, indumenti vilitas arrogantiam saeculi superbiamque condemnans ». Haec
* *Af. 82c* Gregorius. *

Unde ipsi ab his virtutibus antonomastice denominantur, quia definitionis partes per se de definito praedicantur. Nam si ‘pauperes Christi’ simpliciter dicantur, ipsi et non alii veraciter intelliguntur; si autem ‘fratres’ sine additione dicantur, nonnisi praedicti intelliguntur; ‘minores’ autem proprie non nisi ipsos esse omnibus est manifestum. Nomen enim non aliud debet quam definitionem[d] significare nec definitio aliud

---

[a] B *multum.* [b] B *sanctum.* [c] A om. *et cognitionem.* [d] B *quam definitionem debet.*

---

[1] Oratio VI, n. 2 (PG 35, 722sq.). Cf. S. Bonav., *Apologia paup.*, X, 8 (VIII, 307b); A. Clarenus, *Expositio Regulae*, c. 1, p. 18. [2] Ps. 1, 2.

esse debet quam quod verum rei nomen significat, secundum philosophicum documentum [1]. Quilibet ergo « interpretetur vocabulum suum et, nominis definitione prolata, nitatur esse quod dicitur », sicut dicit Hieronymus, *Ad Nepotianum* [2].

De gradibus virtutum [a].

Sane, ni [b] fallor, omnia supra dicta intelligenti liquido potest patere, quomodo beatus pater Franciscus summi magistri Domini nostri Iesu Christi * sectator effectus virtutes praeci- * *B f. 13a*
puas in supremo gradu assumpsit, quo scilicet in ipso Domino Christo claruerunt tempore passionis. Propter quod et ipsi Crucifixio [c] meruit conformari perfecte ac ipsis eiusdem Crucifixi vulneribus mirifice insigniri. Cogita ergo, tu quicumque es, si capere potes, ad quod perfectionis culmen iste pervenit, qui a summo virtutum gradu incepit. Ego autem, quia [d] tantum sapio quantum capio, ut ait Hieronymus [3], « hoc unum scio quod nescio », hoc non capio, hoc non intelligo; sed credo quod oporteat hic repetere propheticum illud atque apostolicum dictum, quod *oculus non vidit nec auris audivit*

[a] AB om. *D. g. v.* [b] A *sin.* [c] B *ipsa crucifixio.* [d] B *qui.*

[1] Aristot., *Metaphys.*, IV, c. 7, text. 28. [2] Epist. 52, n. 5 (PL 22, 531). [3] Epist. 53, n. 8 (PL 22, 548).

nec in cor hominis ascendit[a] *quae praeparavit Deus his qui diligunt* eum. *Quis* enim[b] *audivit* *Af.82d *unquam tale* aut * *quis vidit huic simile*[c]? Isai. ultimo, 8.

Propter quod fortassis melius est sacramentum hoc[d] silentio praeterire quam ipsum exquirere curiose. Scio enim scriptum esse quod curiosus *maiestatis scrutator*[e] *a gloria opprimetur,* Prov. 25, 27; et Eccli. 3, 22 dicitur: *Altiora te ne quaesieris et fortiora te ne scrutatus fueris.* Latet enim[f], ut firmiter credo, in hoc sacramento tam arduum altumque mysterium quod de eo prae sui dignitate hominibus loqui non licet. Unde et ipse beatus Franciscus, cum visionem illius Seraph qui sibi stigmata illa sacra impressit cum multo timore fratribus reseraret, adiecit quod « is[g] qui sibi apparuerat aliqua dixerat quae nunquam » ipse alicui revelare dignum putavit[1].

Quamvis ergo interius perscrutari non queam, aliqua tamen exterius quasi circumloquendo dicam, ut et meis paribus simplicibus satisfaciam et sapientibus dem materiam altius cogitandi,

---

[a] A om. *nec in... ascendit.* [b] B om. [c] A *similes.* [d] B *hoc sacramentum.* [e] B om. [f] B *letet ergo.* [g] B *hiis.*

---

[1] S. Bonav., *Leg. mai.,* XIII, 4.

utpote qui sciunt ex paucis multa, ex infimis [a] summa perquirere. Nec dictum meum praeiudicat alteri, quia quilibet in Domini templo quod potest et vult potestatem habet liberam offerendi. Ego autem omnia dicta et dicenda ad laudem et honorem Domini nostri Iesu Christi ac patris nostri beati Francisci omniumque sanctorum fratrum Minorum qui fuerunt, sunt et erunt offero suppliciterque exoro ut mihi et aliis dent in omnibus sapere veritatem ac vere intelligentes multiplicare dignentur.

Ut autem hoc aliqualiter elucescat, sciendum quod secundum communem illorum sententiam * qui de virtutibus subtilia multa tractarunt [1], *Af. 83a* quatuor sunt gradus virtutum: primus gradus est quo dicuntur virtutes politicae; secundus gradus est quo dicuntur * purgativae; tertius gra- *Bf. 13b* dus quo dicuntur purgati animi; quartus gradus atque supremus quo dicuntur exemplares, id-est assimilativae. Suntque isti gradus non diversarum virtutum, sed earumdem omniumque virtutum. Virtutes enim omnes connexae sunt nec una sine altera haberi dicitur vere, et qui unam perdit sciat se omnes veraciter amisisse.

---

[a] A *infirmis.*

---

[1] Macrobius, *In somnium Scipionis*, I, cap. 8. Cf. S. Bonav., *In Hexaem.*, VI, 25-32.

Et forte sic [a] habet verbum illud Iac. 2, 10 intelligi: *Qui in uno offendit, factus est omnium reus.* Unde super illud Psalmi [1]: *Psallite Domino* [b] *in cithara,* dicit Hieronymus [2]: « Nulla virtutum chorda rupta sit; cithara multas chordas habet: si una rupta fuerit, sonus reddi non potest. Sic sanctus vir, quamvis sanctus sit, si una virtus defuerit, non potest vocalem sonum emittere ». Haec Hieronymus. Et intendo hic de virtutibus secundum definitionem illam Augustini [3], qua dicitur quod « virtus est bona qualitas mentis qua recte vivitur [c], qua nemo male utitur, quam Deus in nobis sine nobis operatur »; secundum etiam quod Philosophus dicit, II *Ethicorum* [4], quod virtus est « quae habentem perficit et opus eius bonum reddit ».

De his gradibus intelligitur illud Iob 31, 37: *Per singulos gradus meos pronuntiabo illum;* super quo Gregorius ait [5]: « Omnipotentem quippe Deum *per singulos gradus* suos pronuntiat, qui per incrementa virtutum quae accipit,

---

[a] B add. *se.* [b] A add. *nostro.* [c] B *vituitur.*

[1] Ps. 97, 6. [2] *Breviar. in Ps.*, Ps. 97 (PL 26, 1120). Cf. *Anecd. Maredsol.* III, p. 147. [3] Cf. *Retract.*, I, cap. 9, n. 6 (PL 32, 598) et *De lib. arb.*, II, cap. 18 et 19 (PL 32, 1266sq.); P. Lombardus, *Sent.* II, dist. 27, cap. 5. [4] Aristot., *Ethica ad Nicom.*, II, c. 6 (II, 19). [5] *In Ezech.*, II, hom. III, n. 3 (PL 76, 959sq.).

semper ei laudem suae pietatis reddit ». Idem quoque Gregorius, super illud Ezech. 40, 6: *Ascendit per gradus* [a], * dicit [1]: « De virtute in *Af. 83b* virtute gradus sunt, quando ipsa [b] unaquaeque virtus quasi quibusdam gradibus augetur et sic per incrementa meritorum ad summa perducitur ». Haec Gregorius. Unde et Psalmista ait [2] de sanctis viris: *Ibunt de virtute in virtutem, videbitur Deus deorum in Sion.* Non est intelligendum quod vadant de una virtute in aliam virtutem, cum simul [c] omnes habere oporteat, ut est dictum, sed *de virtute in virtutem,* idest de uno gradu virtutum in alium gradum earumdem [d] virtutum ascendendo et proficiendo secundum praedictos gradus. Hoc enim de illis dicitur qui, *in valle lacrimarum* habitantes, divino adiuti auxilio *ascensionem in corde suo disponunt,* ut ibidem dicitur. Et hoc usque ad quem gradum? Audi: *Donec,* inquit, *videatur Deus deorum in Sion,* idest donec venias ad ipsius Dei et Domini virtutum [e] claram speculationem: Sion enim *'specula'* interpretatur [3].

Cum autem Deum videbimus clare, tunc ei similes erimus perfecte. Unde I Ioan. 3, 2 di-

[a] B om. *ascendit per gradus.* [b] A om. [c] B om. [d] B *earumdem gradu.* [e] B om.

[1] Loc. cit., n. 4 (PL 76, 960). [2] Ps. 83, 8. [3] Hieronymus, *De nom. hebraicis* (PL 23, 822).

citur: *Scimus quoniam cum apparuerit similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est.* Quod verbum tractans Augustinus, in epistola *Ad* *Bf. 13c *Italicam* [1], ait sic: « In tantum ergo vide-*bimus, in quantum similes erimus; inde igitur videbimus ubi similes erimus, et tanto efficimur similiores illi quanto magis in eius cognitione et caritate proficimus, quia si exterior *homo noster corrumpitur,* interior *renovatur* ». Haec Augustinus. Et Paulus ait, II Cor. 3, 18: *Nos autem revelata facie gloriam Domini speculantes in eamdem* [a] *imaginem transformamur a claritate in claritatem tamquam a Domini Spiritu.*

Iste est enim profectus *aetatis plenitudinis* *Af. 83c *Christi,* secundum videlicet * quod interior homo noster, *qui secundum Deum creatus est, de die in diem renovatur* [2] in virtute proficiendo quousque veniat ad perfectum, ad mensuram aetatis plenitudinis Christi, ut dicit Apostolus, Ephes. 4, 13: *Donec,* inquit, *occurramus omnes in unitatem* [b] *fidei et agnitionis Filii Dei, in virum perfectum, in mensuram aetatis plenitudinis Christi, ut iam non simus parvuli fluctuantes, sed veritatem facientes in caritate crescamus in illo per omnia, qui est caput nostrum Christus.* Haec ibi. Unde

[a] B *eadem.* [b] B *unitate.*

[1] Epist. 92, n. 3 (PL 33, 319). Cf. II Cor. 4, 16. [2] Ephes. 4, 24; II Cor. 4, 16.

scriptum est Luc. 2, 40 quod *puer Iesus proficiebat aetate et sapientia apud Deum et homines.* Quis autem hominum est qui non *proficiat aetate* in pueritia, ut hoc velut quiddam magnum de Domino Iesu scriberetur? Ad te hoc dico, qui corporaliter intelligis quod Iesus *aetate proficeret.* Intellige ergo quia aetate animae proficiebat et magna fiebat anima eius propter magna et ingentia virtutum opera quae faciebat. Unde et de Ioanne Baptista adhuc puerulo dictum est, Luc. 1, 15: *Iste puer magnus coram Domino,* de quo et ibi dicitur quod *puer crescebat et confortabatur spiritu.* Super quo Ambrosius[1] ait[a]: « Ioannes infantiae impedimenta nescivit, qui in utero situs matris a mensura coepit aetatis perfectae plenitudinis Christi ». Haec Ambrosius.

Iste est ergo ultimus et supremus virtutum gradus, quo scilicet Deo et Domino virtutum similis fias. Propter quod et Apostolus ait, Rom. 8, 29: *Conformes fieri imagini Filii sui.* * *Af.83d*

Secundum enim rationabilem et veram considerationem quanto aliquid[b] dicitur de natura aliqua plus participare, tanto illius naturae summo et origini plus dicitur appropinquare,

[a] B om. [b] A *aliud.*

[1] *Super Lucam,* II, n. 30 (PL 15, 1563). Cf. Luc. 1, 80.

non scilicet loco vel spatio, sed similitudine vel imitatione: quanto enim aliquid [a] plus de natura lucis participat, tanto ipsi fonti et origini lucis, scilicet soli, similius efficitur, et e converso quanto aliquid soli similius dicitur, tanto naturam lucis magis participare cognoscitur. Ita ergo quanto aliquis plus virtutem participat, tanto summe virtuoso, fonti scilicet et virtutum origini, qui secundum Philosophos ' virtus virtutum ' dicitur, magis proximus fit, non utique loco vel spatio, quia Dominus virtutum ubique
*Bf.13d est, sed similitudine * et imitatione. Unde Bernardus, in libro *De conscientia* [1], ait: « Quanto virtutes in te plus habebis, tanto propinquior Deo eris et maiorem tui Conditoris similitudinem geres ». Haec Bernardus. Et ideo virtutes in gradu supremo exemplares sive assimilativae dicuntur, quia perfecte virtuti virtutum assimilant. Iuxta quod dicit Ambrosius, in libro *De fuga saeculi* [2]: « Similem esse Dei est habere iustitiam, sapientiam et in virtute esse perfectum ». Haec Ambrosius. Nam, ut dicitur in libro *De causis* [3], « omnes virtutes sunt pendentes per unum primum, quod est virtus virtutum ».

[a] A *aliud.*

[1] Pseudo-Bernardus, *Tract. de interiori domo seu de conscientia aedificanda*, c. 39, n. 80 (PL 184, 547). [2] Cap. 4, n. 17 (PL 14, 578). [3] § 15 (ed. O. Bardenhewer, Frib.-in-B. 1882, p. 177).

Si quis ergo ad tantum statum perfectionis veniret ut virtutes in gradu quo exemplares atque assimilativae dicuntur in se * haberet,* *Af. 84a* hic perfecte virtuosus esset atque beatus. Et inde est quod Philosophi, non, ut quidam putant, in hoc errantes, dixerunt hominem perfecte virtuosum esse vere felicem, felicitatem in virtutum consummatione ponentes, quia effectus virtutum est beare.

In hoc tamen erraverunt, quia crediderunt ipsam felicitatem in praesenti vita haberi posse; quod plane falsum est, ut omnibus patet, nec improbari necesse est, cum ad oculum videamus omnes communiter mori. Sicut enim moritur doctus, ita et indoctus, et *utriusque,* scilicet sapientis et stulti, *unus interitus est,* ut dicitur Eccle. 2, 14, quia *unus est interitus hominum et iumentorum et aequa utriusque conditio,* ut dicitur Eccle. 3, 19. *Unus est* enim *introitus omnibus ad vitam et similis exitus,* Sap. 7, 6. Mortalitas autem nunquam cum perfecta felicitate stare potest. Unde Hieronymus, super *Beati immaculati* [1], dicit quod idem est beatus et immortalis, et Augustinus, XIII *De Trinitate,* cap. 7 [2], quod «beatitudo sine immortalitate esse non potest», et hoc probat prolixe in [a] infra, cap. 8.

[a] A om.

[1] *Breviar. in Psalm.,* Ps. 118 (PL 26, 1187). [2] Num. 10 (PL 42, 1022).

Sequitur ergo quod qui non est immortalis, beatus esse non potest: nunquam enim felix est qui quod habet amittere potest aut amittere timet. Unde Augustinus, XI libro *De civitate* [1], ait: « Beatitudo est ut homo incommutabili bono quod Deus est sine ulla molestia perfruatur et in eo se in aeternum mansurum esse nec ulla dubitatione cunctetur »; idem quoque, X libro *Confessionum* [2], ait: « Beatus eris si, nulla inter-
* *Af. 84b* pellante molestia, de ipsa per * quam omnia sunt vera sola veritate gaudebis ». Haec Augustinus. Qui enim timet non est perfectus *in caritate*, quia timor poenam habet, *perfecta* autem *caritas foras mittit timorem*, ut dicitur I Ioan. 4, 18. Poena autem miserum et infelicem necessario facit. Ergo qui felix esset [a] et timeret, simul felix esset et infelix, beatus et miser: quod omnibus patet impossibile esse.

Ipsasque virtutes non a Deo dari dixerunt,
* *Bf. 14a* sed per frequentationem actus * habitum asserunt fieri virtuosum. Unde et summus inter Philosophos, Aristoteles [3], dicit quod pravus ad meliores exercitationes deductus fit virtuosus. Quod non est verum simpliciter; immo secundum veritatem actus virtuosi esse non possunt

[a] A *esse*.

[1] Cap. 13 (PL 41, 328). [2] Cap. 23, n. 34 (PL 32, 794).
[3] Aristot., *Ethica ad Nicom.*, X, c. 9.

nisi a potentia virtutis habitu informata. Nam, ut dicit Augustinus [1], non quia bona facimus, boni sumus, sed e converso quia boni sumus [a], bona facimus. Unde Sapientia dicit, Prov. 8, 14, loquens de quatuor virtutibus proprie: *Meum est consilium et aequitas, mea est prudentia, mea est fortitudo;* ubi Glossa [2]: « Non se extollat humana praesumptio: plenitudinem virtutum sola Dei Sapientia possidet, ab hac humana infirmitas quidquid habet virtutis accipit ». Propter quod recte sequitur: *Per me reges regnant* etc. In libro quoque Sapientiae, cap. 8, 7, dicitur de Sapientia Dei: *Sobrietatem,* idest temperantiam, *et prudentiam docet, et iustitiam, et virtutem,* idest fortitudinem, *quibus nihil est utilius in vita hominibus.* Ubi Rabanus, in Glossa, sic ait: « Has quatuor principales virtutes * ponit, quas nemo habuit nisi cui omnium virtutum origo Deus contulit quocumque tempore, quacumque [b] lege, quacumque gente; Christus enim solus, virtus et sapientia Patris, *Af. 84c

[a] B om. [b] A om. *tempore quacumque.*

[1] Cf. S. Bonav., *I Sent.*, d. 17, p. 1, a. un., q. 1 (I, 293 b); d. 27, p. 1, a. un., q. 2 (I, 469 a); *II Sent.*, d. 30, a. 1, q. 2 (II, 718 b); d. 44, a. 1, q. 2, *ad 3* (II, 1004 a); *IV Sent.*, d. 15, p. 1, a. un., q. 2, *ad 2* (IV, 362 b); d. 17, p. 3, a. 2, q. 3, *ad 5* (IV, 462 b). [2] *Ordin.*, in h. l., ap. Lyran. (ed. cit., p. 317 r).

invenit viam disciplinae et dedit illam Iacob puero suo». Haec Rabanus [1].

Et accipio hic virtutes, ut supra dictum est, secundum quod habentem perficiunt et opus bonum reddunt, prout vere faciunt hominem virtuosum ac ad veram felicitatem perducunt — iuxta quod dicit Augustinus, I *Soliloquiorum* [2], quod «perfecta virtus est ratio perveniens usque in finem, quem beata vita consequitur» — non secundum quod sunt mere consuetudinales, ut Philosophi assumpserunt [a], qui *speciem quidem pietatis habentes virtutem eius* penitus ignorarunt: propter quod et *contra fidem naufragantes* [3] a vera felicitate penitus exciderunt. Non enim dicendus est omnis iustus qui actum iustitiae facit, quia et hoc ab iniusto fieri aliquando potest; sed vere iustus dicendus est, qui ipsam iustitiam diligens voluntatem ac propositum firmum habet in omnibus rectitudinem servare et hoc solum ob iustitiae amorem, etiamsi actum iustitiae non semper agat. Unde Augustinus, in epistola *Ad Armentarium* [4], ait: «Plene velle iustitia est, nec plus aliquid perficienda iustitia quam perfectam voluntatem

[a] B *asserunt*.

[1] *In Sap.*, II, c. 5 (PL 109, 707). In fine Baruch, 3, 37. [2] Cap. 6, n. 13 (PL 32, 876). [3] II Tim. 3, 5; I Tim. 1, 19. [4] Epist. 127, n. 5 (PL 33, 485).

requirit »; idem, in epistola *Ad Macedonium* [1]: « Mores ex eo quod quilibet diligit diiudicari so-*lent, nec faciunt bonos vel malos mores nisi* *Bf.14b* boni vel mali amores »; et IX *De Trinitate*, cap. 9, ait: « Qui perfecte novit et perfecte amat iustitiam iustus est, etiamsi nulla sit forinsecus operandi necessitas ». Haec Augustinus [2].

* Propterea Sap. 1, 1 dicitur: *Diligite iusti-* *Af.84d* *tiam, qui iudicatis terram*; ubi Glossa [3]: « Non solum facite ». Iustitia enim non est rectitudo operis, sed voluntatis, iuxta definitionem Anselmi [4], qua dicitur: « Iustitia est rectitudo voluntatis propter se servata, idest propter rectitudinem ». Sicut enim visus non dicitur acutus quia acute videt, sed potius e converso ideo acute videt quia acutus est, sic non dicitur aliquis iustus quia iuste operatur, sed potius quia iustus est nonnisi iuste operari potest. Iuxta quod et Augustinus dicit, *Super Psalmum 110* [5], quod « iustitiam homo operari non potest nisi prius fuerit iustificatus ». Et ita de virtutibus aliis dicendum est atque sentiendum. Unde Domini sententia est, Matt. 7, 17: *Omnis arbor bona fructus bonos facit, mala autem fructus*

---

[1] Epist. 155, n. 13 (PL 33, 672). [2] Num. 14 (PL 42, 968). [3] *Interlin.*, in h. l., ap. Lyran. (ed. cit., p. 368r). [4] *De veritate*, cap. 2 (PL 158, 482sq.). [5] Num. 3 (PL 37, 1464).

malos facit; non potest arbor bona fructus malos facere neque arbor mala [a] *fructus bonos facere* [b].

Quod autem istae arbores virtutes intelligi debeant, ostendit Origenes, *Super Leviticum*, homilia [c] ultima [1], inquiens ita: « Habemus arbores intra [d] nos, sive bonas sive malas: non est ficus nec malus neque vitis, sed una arbor iustitia vocatur, alia prudentia, alia fortitudo, alia temperantia nominatur et, si vis, maiorem adhuc multitudinem disce, quibus fortassis dignus putabitur constitutus etiam paradisus Dei; est ergo ibi arbor pietas, alia arbor sapientiae est, alia disciplinae, et illa scientiae boni et mali, super omnia vero est arbor vitae. Non tibi videtur quod Pater caelestis agricola huiusmodi arbores in anima tua excolat et huiusmodi plantaria in tua mente constituat, ubi bonae arbores
* *Af. 85a* fructus malos afferre non pos-*sunt? nam iustitia fructus iniustitiae ferre non potest, et sic de ceteris. Sed si e contrario est in te radix malitiae, fructus non dabit bonos; si stultitiae planta, non profert sapientiae florem; si iniustitiae seu iniquitatis arbor sit, nunquam huiusmodi gaudere bonis fructibus possunt ». Huc usque Origenes. Et Luc. 6, 45, dicit Dominus: *Bonus*

[a] A *bona*. [b] A om. [c] B *homilia Leviticum*, pro *S. L. h.* [d] A *inter*.

[1] Hom. 16. n. 4 (PG 12, 567).

homo de bono thesauro cordis sui profert bonum, et malus homo de malo thesauro profert malum: ex abundantia enim cordis os loquitur. De his quatuor virtutibus cardinalibus * dicit Augustinus, in epistola *Ad Macedonium*[1]: « His virtutibus divinitus impertitis et bona vita nunc agitur et post eam proemium eius, quae nisi aeterna esse non potest, beata vita persolvitur; hic enim sunt eaedem virtutes in actu, ibi in effectu, hic in opere, ibi in mercede, hic in officio, ibi in fine ». Haec Augustinus. *Bf. 14c

Quia ergo beatus Franciscus virtutes habuit in summo gradu, ut superius est ostensum, secundum quod in Christo crucifixionis tempore claruerunt, gradus autem summus virtutum est quo sunt exemplares sive assimilativae fonti virtutum, necesse [a] fuit ipsum beatum Franciscum ipsi Christo perfecte similem fieri in ipsa Christi passione ac crucifixione, non scilicet ipsi Christo secundum quod homo beatus vel Deus erat — quia huiusmodi [b] similitudo, cum hominem faciat perfecte beatum, haberi perfecte in vita ista non potest, ut praedictum est, habet tamen eam modo in [c] consortio sanctorum gloriosus existens, lumine gloriae absorptus, aeter-

[a] A *necessarie.* [b] B *hec.* [c] B *ex.*

[1] Epist. 155, n. 16 (PL 33, 673).

nae lucis clara visione beatus effectus, divini-
Af.85b tatis participatione aeternaliter consummatus *
— sed secundum quod Christus perfectionis actus ac virtutes exercuit in carnis infirmitate ac poenalitate quam pro nobis assumpsit, ut est superius declaratum. Et propterea beatus pater Franciscus non solum in anima, sed in carneis membris, manibus scilicet ac pedibus et latere, vulnerum Christi stigmatibus decoratis, ipsi Crucifixo factus est perfecte conformis.

Ioannes in sexto sigillo [a].

Istud autem tam sacrum mysterium, tam altissimum sacramentum, quod *absconditum* fuit *a saeculis, novissimis istis temporibus* [b] *revelatum* [1], puto ostensum fuisse dilecto Christi discipulo, cui sunt [c] *secreta caelestia revelata* [2], Ioanni scilicet evangelistae, in Apoc. 7, in apertione sexti sigilli, per quod sigillum sextae aetatis mundi tempus datur intelligi, quod secundum Sanctos est tempus praesens a Christo usque ad mundi finem. Sicut enim in prima rerum
Bf.14d creatione, * omnibus iam operibus consummatis, primus homo factus est sexta die *ad simili-*

[a] A om. *I. i. s. s.* [b] B *temporibus istis.* [c] B om.

[1] Col. 1 26; I Petr. 1, 20. [2] Octav. responsorium in officio S. Ioannis.

tudinem et imaginem Dei [1] eademque die peccavit et de paradiso expulsus, post quam diem sequitur [a] sabbatum, idest requies quae vesperam non habet, quia illa die *requievisse* dicitur Deus *ab operibus* suis, Gen. 2, 2, sic Filius Dei, qui est principium omnium [b], factus est homo, qui est finis et ultimum omnium operum Dei, in fine temporum, sexta scilicet aetate mundi, ac in eadem hominem in paradisum restituit — et sic volunt quidam verbum illud ab eo dictum latroni intelligi, Luc. 23, 43: *Hodie mecum eris in paradiso,* per quod omnibus credentibus et confitentibus ingrediendi aditum reseravit, quem prius * Adam peccante concluserat; unde Paulus ait [c], Gal. 4, 4: *At ubi venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum factum ex muliere, factum sub Lege, ut eos qui sub Lege erant redimeret* — sextaque die incarnatus eademque die revolutis annis crucifixus et mortuus, sequenti sabbato in sepulcro quievit. Unde ipse dicit, Isai. 44, 6: *Ego primus et ego novissimus et absque me non est Deus verus et salvator,* et Apoc. 1, 8 ait: *Ego sum alpha et omega, principium et finis,* idest Deus et homo, principium omnium Deus, finis omnium homo, utpote qui ultimo factus.

* *A f. 85c*

[a] A *seu.* [b] B om. [c] B om.

[1] Gen. 1, 26.

Propterea dicitur I Ioan. 2, 18: *Carissimi, novissima hora est,* et Paulus ait, I Cor. 10, 11: *Nos sumus in quos fines saeculorum devenerunt,* quia hoc est ultimum tempus, sexta scilicet mundi aetas, post quam sabbatum sequitur quod non habet vesperam, quia sequitur post hoc tempus perfecta Sanctorum requies quae ultra ad noctem non declinabit. Et iste est *sabbatismus,* quem Iudaei male intelligunt, qui, ut dicitur Hebr. 4, 9, *relinquitur populo Dei.* Et sicut Deus sexta die *ad imaginem et similitudinem* suam hominem fecit quantum ad animam, non quantum ad corpus, quia *Deus spiritus est* [1] et imago Dei in anima est, sic Deus
Bf. 15a factus * homo sexta aetate sextaque die ut hominem redimeret mortuus, qui utique homo, ut dictum est, sexta die factus fuerat eademque die peccaverat et eiectus fuerat de paradiso, hominem scilicet beatum Franciscum fecit ad imaginem et similitudinem suam secundum corpus quod et ipse assumpserat, quale scilicet
Af. 85d fuit [a] * sexta die, quando propter delicta nostra mortuum est, quale etiam Christus reassumpsit quando ut nos iustificaret ac in paradisum restitueret resurrexit, quia *mortuus est propter*

[a] B *fuerat.*

[1] Gen. 1, 26; Ioan. 4, 24.

delicta nostra et resurrexit propter iustificationem nostram, ut dicitur Rom. 4, 25.

Nec hoc a mysterio vacat quod illi primo homini eadem die[a] creavit Dominus *adiutorium simile sibi*[1], quia etiam huic beato Francisco fecit Deus *adiutorium simile sibi* de costa[b] eius, de latere eius, idest de gente eius, de civitate eius. Haec est illa beatissima virgo Clara, quae vere potest dici *virago*[2], idest agens viriliter, quia eius opera virtuosa omni virtutum claritate fulgentia mundum istum luce mirifica illustrarunt. Haec est mulier illa, quae iuxta Apostolum, I Cor. 11, 6, *caput habet velatum*, quia beata Clara virgo Deo dicata, cum esset de Ordine eius, velum capitis habuit pro habitu. Vir autem iste beatus Franciscus caput non velat, sed radit et calvitium facit, quia ipse *est imago et gloria Dei* propter expressam similitudinem crucifixi Christi Dei nostri, quae solum in eo refulsit; et ideo merito *vir* iste *caput* est, rector scilicet *mulieris, mulier* autem imago est et *gloria viri*[3], eius scilicet sequens vestigia et salutaria hortamenta: unde imago dicitur quasi imitago, nam et Philosophus[4]

[a] B om. *eadem die.* [b] A *casta.*

[1] Gen. 2, 18. [2] Cf. Gen. 2, 23. [3] I Cor. 11, 3, 7.
[4] Aristot., *Topic.*, VI, c. 2 (I, 236).

dicit quod « imago est cuius generatio est per imitationem ». Haec est enim *mulier* illa *fortis,* quam Salomonis sapientia quaerit quamque *procul et* [*de*] *ultimis finibus* venturam ostendit [1], *Bf. 15b* quae caput illud virulentum serpentis antiqui *Af. 86a* *contrivit* [2], quod universum mundum veneno mortifero sub mulcedine carnis implevit. Haec est mulier illa, quae manibus suis *vineam* illam *plantavit,* quae vinum tam mirabile affert quod iuxta patulam prophetiam *virgines germinare* non desinit: *haec est* enim [a] illa *generatio casta cum claritate* [3], cuius candoris pulcritudinem Philonis sapientia admiratur simul [b] et veneratur.

Ait ergo Ioannes in huius sigilli apertione [4]: *Vidi alterum angelum ascendentem ab ortu solis, habentem signum Dei vivi.* Attendite diligenter, notate verba, signate mysteria; singula enim verba huius libri Apocalypsis, ut Hieronymus [5] dicit, plena sunt sententiis, gravida sacramentis. *Vidit* ergo Ioannes, non scilicet visione corporali qua ista corporalia videmus, nec imaginaria qua similitudines corporum videntur, ut in somnis, sed tertio genere visionis, quo

[a] B om. [b] B om.

[1] Prov. 31, 10. [2] Gen. 3, 15. [3] Prov. 31, 16; Zach. 9, 17; Sap. 4, 1. [4] Apoc. 7, 2. [5] Cf. Epist. 53, n. 8 (PL 22, 548 sq.).

scilicet intelliguntur quae videntur mentis contuitu [1]. Hoc enim modo dicebantur prophetae in Veteri Testamento videntes, id est intelligentes: ipsi enim intelligebant, ut dicit Hieronymus, *Super Isaiam,* in principio [2], quia, ut ipse dicit ibi, « non aer voce percussus ad aures eorum veniebat, sed in animo eorum ipse Deus loquebatur ». Idem quoque, in *Prologo magno super Apocalypsim* [3], dicit sic: « Ioannes non tantum figuras spiritu vidit, sed earum significata men-*te intellexit ». Et Adamantius* *Af. 86b* expositor, in *Glossa super principium Apocalypsis* [4], ait: « Ioannes non realiter ista vidit, sed divino flamine inspirante, convenientia signa passionum significativa intellectu suo configuravit ».

Alterum angelum [a].

Quid autem vidit? *Alterum,* inquit, *angelum.* Quare non dixit simpliciter *angelum,* sicut ipse

[a] A om. *a. a.*

[1] Cf. Augustin., *De Gen. ad litt.,* XII, c. 7sq. (PL 34, 459sq.). [2] PL 24, 20. [3] Haec verba non sunt Hieronymi, sed Gilberti Porretani in Prologo suo super Apocalypsim. Cf. *Biblia sacra... cum N. Lyrani Postilla,* VI, Venetiis 1588, p. 240r. [4] Haec iterum verba sumpta sunt ex expositione in supra dictum Gilberti Prologum. Cf. Bonelli, *S. Bonav. Supplementum,* II, Tridenti 1773, col. 22.

idem in eodem libro pluries dicit, sed ait *alterum angelum?* Nec enim de aliquo singulari angelo prius locutus fuerat, a quo sententiam
* *Bf. 15c* continuando discretionem faciens * diceret '*alterum angelum*'. Quid ergo est hoc, quod dicit nobis '*alterum*'? Ego autem puto sic esse intelligendum, ut iste quem Ioannes videt angelus vere non sit, sed '*alter angelus*'; et est modus loquendi quo dicere solemus: si videamus hominem nimis curialem, dicimus « iste est alter Alexander », si hominem valde sapientem, dicimus quod est alter Salomon, qui utique Salomon vere [a] non est nec Alexander, sed ei similis, eius scilicet proprietates in se habens [b].

Vidit ergo Ioannes *alterum angelum*, non utique angelum vere, sed hominem, idest beatum Franciscum, vere angelo similem; ubi statum eius ostendit ante suam conversionem, in quo videlicet statu iuxta proprietates angelicas, cordis puritate ac corporis integritate servata, innocenter ac simpliciter ut patriarcha Iacob [1] in domo paterna vivebat. Unde et vulgo dicitur de his qui mite, humiliter ac innocenter inter homines conversantur, quod alteri angeli sunt.
* *Af. 86c* Vel forte *alter angelus* * dictus est, quia 'alter' facit distinctionem solum ab 'uno', ut

[a] B *vere Salomon.* [b] B *habet.*

[1] Cf. Gen. 25, 27.

beatus Franciscus dicatur 'alter' ab *angelo magni consilii* [1], qui Christus est, cui videlicet ipse expresse similis factus est *vestigia* eius *comprehendens* [2] perfecte, ut superius est ostensum. Unde et de eo ipse Ioannes, Apoc. 14, 6, ait: *Vidi alterum angelum,* id est minorem praedicatorem, qui alter est a Christo, vices eius exequens, ut ibi exponit Glossa; *volantem,* « idest a terrenis se removentem »; *per medium caelum,* idest per [a] communem ecclesiam, quam verbis et exemplis trahit secum, vel *per medium,* idest per catholicam fidem non faciendo sectas, dum non a recta via quae Christus est a dextris vel a sinistris declinat; *habentem,* scilicet ex iniuncto officio; *evangelium aeternum,* idest praedicationem aeterna promittentem; *ut evangeliza-***ret sedentibus super terram,* idest* *B f.15d* morantibus in contemptu mundi. Totum sic exponit Glossa [3].

Potest etiam [b] *alter angelus* dici ad differentiam illius qui faciem Christi praecessit parare vias eius, Ioannes scilicet Baptista, de quo, ut

[a] B om. [b] B *et.*

[1] Isai. 9, 6, secundum Septuaginta. [2] Iob, 11, 7.

[3] Illam non invenimus Glossam nec apud Hugonem a S. Charo nec apud Lyranum. Eadem videtur esse ac ea quam auctor superius dixit Adamantii expositoris. Cf. Bonelli, l. c., *Comment. in Apoc.,* nn. 1026-1034, ubi revera verbaliter reperitur in aliquibus et in aliis quoad sensum.

Salvator ait, Matt. 11, 10, scriptum est: *Ecce ego mitto angelum meum, qui praeparabit*[a] *viam ante faciem tuam;* quia et ipse, ut ex supra dictis claret, vere fuit frater Minor, a quo beatus Franciscus 'alter' dicitur in hoc quod *signum habuit Dei vivi.*

Si autem volumus dicere quod 'angelus' in lingua nostra nuntium sonat, non erit in aliquo contrarium nobis. Beatus enim Franciscus recte est *servus* ille, quem Dominus misit *hora coenae,* idest advesperascente iam mundo, *dicere invitatis,* vocatis scilicet ad vitam, ut ad coenam
Af. 86d nup-*tiarum Agni festinent, cum sint *omnia*[b] *parata,* ut dicitur Luc. 14, 17. De quo bene potest intelligi quod Ioannes dicit, Apoc. 19, 17: *Vidi,* inquit, *unum angelum stantem in sole,* idest in Christo, *et clamavit voce magna dicens omnibus avibus quae volant per medium caeli,* idest fidelibus caelestia contemplantibus, in vera et sincera fide Ecclesiae manentibus: *Venite, congregamini ad coenam magnam Dei.*

Ascendentem ab ortu solis[c].

Sed iste alter angelus *ascendere* dicitur *ab ortu solis,* ubi statum suae conversionis[d] et con-

[a] B *preparavit.* [b] B *omnia sint.* [c] A om. *A. a. o. s.*
[d] A *conversationis et conversionis.*

versationis ostendit. Quid putas causae est, quia iste alter angelus *ascendere* dicitur, non stare in *ortu solis*, quae utique regio est luminis et caloris? In pluribus autem Scripturae locis, etiam in ipsa Apocalypsi [1], angelos stantes invenies. Et quid est quod *ascendere* dicitur, non descendere? Iacob autem angelos Dei ascendentes et descendentes se vidisse testatur, Gen. 28, 12, et in pluribus aliis locis Scripturae [2] angelos descendisse reperies. Et quid est quod * dicit *ab ortu solis*, non ab occasu vel* *Bf. 16a* alia mundi parte? Singula enim haec requirenda puto, si aliquam de isto altero angelo circa quem haec dicuntur notitiam habere voluero.

Ego autem audivi quosdam hic intelligere per *ortum solis* nativitatem Christi, ut sic dicatur beatus Franciscus *ascendere ab ortu solis*, quia suam conversionem et conversationem incepit a nativitate solis iustitiae, Christi Dei nostri. Sed audacter hoc abnego, hoc reprobo constanter. Nam in superioribus ostensum est beatum Franciscum fundamentum accepisse in Christo non dum puer erat, sed in illo statu in quo virtutes in eo ut in viro forti perfectius eluxerunt. Licet enim ipse Dominus Christus semper perfectus existeret [a], infirmis tamen

[a] B *existens*.

[1] Cf. Apoc. 7, 1, 9, 11; 8, 2, 3; 10, 5, 8; 15, 2; 19, 17.
[2] Dan. 3, 49; 4, 10, 20; Matt. 28, 2; Ioan. 1, 51; 5, 4.

*Af. 87a com-*patiens aliquando « infirma egit, sicut in fuga patet et loculis, ut et perfectis et imperfectis se » formam daret et « imperfectorum semitas non damnaret »[1]. Beatus autem pater Franciscus non ut infirmus in imperfectis, sed ut fortis athleta Christum in perfectissimis est secutus.

Sed per *ortum solis,* idest partem orientalem, huius mundi divitias ac prosperitates intelligi debere existimo. Nam quia spirituales substantiae, quae secundum Philosophos et etiam Sanctos motores orbium caelestium sunt, in parte illa orientali residere creduntur, cum ibi primo motus appareat ac illa secundum Philosophum [a] dicatur pars dextera caeli [2], efficacior et nobilior est in parte illa superiorum corporum influentia luminis et caloris quam sit in aliqua alia mundi parte. Cum ergo omnia terrae nascentia generentur et corrumpantur secundum illorum corporum motus et maxime solis, iuxta quod Philosophus dicit [3] quod secundum allationem solis in circulo obliquo fit generatio et corruptio in rebus, unde et sol

[a] B *philosophos.*

[1] Hic clare auctor utitur bulla *Exiit* Nicolai III, art. 2, n. 2. Cf. *Seraph. legislat. textus originales,* p. 191 sq.
[2] Aristot., *De caelo et mundo,* II, c. 2, text. 7-16 (II, 390 sq.).
[3] Aristot., *De caelo et mundo,* II, c. 3, text. 17-21 (II, 392 sq.); *De gen. et corrupt.* II, c. 19, text. 56.

dictus est pater plantarum [1], patet quod pars illa orientalis rebus istius mundi * pretiosiori-*Bf.16b bus prae aliis mundi partibus merito fertilis dicitur et abundans. Unde et Paradisus delitiarum in parte illa est; et hoc scimus manifeste quod ibi aurum abundat et, Scriptura testante [2], *aurum terrae illius optimum est,* ibi etiam lapides pretiosi reperiuntur indeque portantur species quaeque carae; Philosophus etiam dicit [3] quod flumina, quae currunt versus Orientem, ducant [a] aurum et lapides pretiosos.

Propter quod recte per partem orientalem sive per '*ortum solis*' huius mundi divitias ac prosperitates intelligere possumus. Unde Iob 1, 3 dicitur: *Erat vir ille magnus inter omnes orientales,* ubi Glossa [4]: « Idest ditior divitibus, **Af.87b* quia orientales constat esse praedivites ». Propter quod et sextus angelus flumen magnum Eufraten, quod interpretatur '*fertilitas*', siccavit *ut praeparet viam regibus ab ortu solis,* ut dicitur Apoc. 16, 12. Reges autem isti vere Christi pauperes sunt, quorum scilicet *est regnum caelorum* [5], qui in iudicio in soliis collocandi sunt,

[a] B *ducunt.*

[1] Aristot., *De animal. gener.* I, cap. 2 (III, 320); *De plantis,* I, c. 6 (IV, 21). [2] Gen. 2, 12. [3] Aristot., *De mirabilibus auscultationibus,* c. 45-49 (IV, 83sq.). [4] *Interlin.,* in h. l., ap. Lyran. (ed. cit., p. 5v), ex Greg. M., *Moral.,* I, c. 6, n. 8 (PL 75, 531). [5] Matt. 5, 3.

quia *iudicium pauperibus tribuet* qui *reges in solio collocat,* qui *vinciuntur funibus paupertatis,* ut dicitur Iob 36, 6-8. Qui ergo mundi divitias ac prosperitates quaerunt, isti ad Orientem descendunt, isti ad ortum solis vadunt; qui autem habent eas et tenent et amant, isti in ortu solis stant, in Oriente morantur.

Beatus autem Franciscus non stat in Oriente, non descendit ad ortum solis, sed *ascendit,* inquit, *ab ortu solis,* recedit ab ortu solis, fugit ab Oriente, mundum [a] contemnit, prosperitates mundi ac divitias omnino derelinquit [b]. Unde Gen. 13, 11 dicitur: *Lot elegit sibi regionem circa Iordanem et recessit ab Oriente.* Lot [c] autem '*vacans sive declinans*' interpretatur; qui vere beatum Franciscum significat, qui, ut libere Deo vacaret, omnes mundi divitias declinans *ab Oriente recessit.* Ipse namque est Elisaeus supra quem *duplex* Eliae *spiritus* requievit [1], qui cum
* *Bf. 16c* ab ortu solis *ascenderet* * *in Bethel,* idest in religionem fratrum Minorum, quae vere est domus Dei, ut superius est expositum, pueri eius calvariam, idest paupertatem Crucifixi in calvaria, irridentes [d] derisorie clamaverunt: *Ascende, calve, ascende, calve,* ut dicitur IV Reg. 2, 23. Vere

[a] A *mundi.* [b] B *dereliquit.* [c] B om. *elegit... Lot* [d] B *deridentes.*

[1] IV Reg. 2, 9.

ipse est *calvus,* ipse depilatus, ipse denudatus ab omnibus rebus mundi; quod et ad litteram iuvenes beato Francisco * in primordio conversionis suae fecerunt non solum verbis illudentes, sed etiam « platearum luto ac lapidibus impetentes », sicut scribitur in *Legenda* sua [1]. * *Af. 87c*

Isti sunt pueri sensibus, in quibus *sapientia desursum descendens non est, sed terrena, animalis et diabolica,* ut dicitur Iac. 3, 15, terrena in avaritia, animalis in luxuria, diabolica in superbia; isti sunt *filii Agar, qui exquisierunt prudentiam quae de terra est, negotiatores* terrae, *viam autem sapientiae nescierunt.* Et quid sequitur? *Quia non habuerunt sapientiam, interierunt propter suam insipientiam* [2]. Suam autem insipientiam ostendunt, cum *os suum in blasphemias aperiunt* [3]. Propter quod et *egressi ursi de saltu laceraverunt ex eis quadraginta duos pueros* [4]. Iste est numerus potestatis bestiae, cui *datum est os loquens blasphemias,* ut dicitur Apoc. 13, 5: *Data est,* inquit, *potestas bestiae facere menses quadraginta duos, et aperuit os suum in blasphemias ad Deum et eos qui in caelo habitant;* non enim blasphemat nisi eos, qui terram propter Deum relinquunt et caelum petunt. Sed in inferno suam cognoscent insipien-

[1] S. Bonav., *Leg. mai.,* II, 2. [2] Baruch, 3, 23, 28.
[3] Apoc. 13, 6. [4] IV Reg. 2, 24.

tiam, ubi dicent: *Nos insensati vitam illorum extimabamus insaniam et finem illorum sine honore; ecce quomodo computati sunt inter filios Dei et inter sanctos sors illorum est; quid nobis profuit superbia? et divitiarum iactantia quid* [a] *contulit nobis? transierunt * omnia* velut *umbra*, ut dicitur Sap. 5, 4-9.

*Bf. 16d

Iste ergo vere *calvus* est, qui utique vocare venerat *ad fletum et calvitium et cingulum sacci*, ut dicitur Isai. 22, 12, qui sibi *pro zona fu-*ni-culum* sumpserat, *pro crispanti crine calvitium* fecerat *et cilicium* induerat *pro fascia pectorali* [1], ut dicitur Isai. 3, 24. Hunc enim *iustum* Deus *ab Oriente suscitavit, vocavit eum ut sequeretur se*, ut dicitur Isai. 41, 2. Dicitur autem *ascendere*, non descendere, quia non invenies in Sacra Scriptura quod quis dicatur de bono loco in malum ascendere, sed descendere, nec de [b] malo loco in bonum descendere, sed ascendere. Unde dicitur ascensus ex Aegypto et descensus in Aegyptum [2], et illud Luc. 10, 30: *Homo quidam descendebat ab Ierusalem in Iericho et incidit in latrones* etc. Scrutare Scripturas et probabis quod verum dico.

*Af. 87d

---

[a] B *quid divitiarum iactantia* pro *e. d. i. q.* [b] B om.

---

[1] Cf. I. Peckam, *Cant. pauperis*, p. 141. [2] Cf. Gen. 13, 1; 45, 25; Exod. 13, 18; Num. 20, 5; item Gen. 12, 10; 26, 2; 43, 15; Deuter. 10, 22; Isai. 30, 2; 31, 1.

Dei vivi [a].

Signum autem dicitur iste alter angelus habere *Dei vivi;* unde sequitur: *Habentem signum Dei vivi,* ubi statum suae perfectionis et consummationis ostendit, in quo beatus Franciscus pervenit ad expressam similitudinem Crucifixi. Quod autem sit hoc *signum,* non dicit, sed nobis inquirendum reliquit; me autem magis movet hoc quod dicit *Dei vivi.* Nonne sufficiebat dicere solum *Dei?* Sed addit *vivi;* numquid potest esse Deus non vivens? Non puto. Nam iuxta Augustinum, I *De doctrina christiana* [1], « omnes qui Deum cogitant, vivum aliquid cogitant ». Unde et Gentiles qui idola colebant, quae secundum Apostolum, I Cor. 8, 4, in veritate *nihil erant,* ipsa deos et utique viventes putabant; unde et Bel, idolum Babyloniorum, quod Daniel sanctus propheta destruxit, ab ipsis Babyloniis, qui eum colebant, *Deus vivens* et credebatur et venerabatur, ut dicitur Dan. 14, 5. *Dominus autem Deus verus est et ipse* est *Deus vivens,* * ut dicitur [b] Ierem. 10, 10, *Af. 88a* et si etiam secundum Apostolum, I Cor. 8, 5,

[a] A om. *D. v.* [b] B om.

[1] Cap. 8, n. 8 (PL 34, 22).

Bf.17a aliis nationibus antiquis temporibus essent *dii multi et domini multi, nobis tamen* fidelibus ad Deum verum conversis nonnisi *unus Deus et Dominus* est.

Qui utique Deus non vivens esse non potest. Nam cum, secundum Philosophum [1], vivere viventibus sit esse, si Deus non vivit, absque dubio Deus non est, sicut et homo non vivens utique homo non est. Amplius, si secundum communem animi conceptionem Deus illud est quo melius cogitari non potest, ut dicit Anselmus, *Monologion* [2], cap. [2], et Augustinus, VII *Confessionum* [3], ait: « Nulla anima unquam potuit poteritve cogitare aliquid quod sit te melius, qui summum et optimum bonum es, Domine »; idem, in [a] I *De doctrina christiana* [4]: « Omnes certatim [b] pro excellentia Dei dimicant nec quisquam inveniri potest qui hoc Deum credat esse quo est aliquid melius, itaque omnes hoc Deum esse consentiunt quod ceteris rebus omnibus anteponunt ». Haec Augustinus. Substantia autem vivens omnino melior est non vivente, ut Anselmus [5] dicit, *Monologion,* cap. 31, et Augustinus, *Super Gene-*

[a] B om. [b] A *certati.*

[1] Aristot., *De anima,* II, c. 4, text. 37. [2] Potius *Proslogion,* c. 2 (PL 158, 227). [3] Cap. 4, n. 6 (PL 32, 735). [4] Cap. 7, n. 7 (PL 34, 22). [5] PL 158, 184sq.

sim, libro XII[1]; unde *melior est canis vivus leone mortuo*, ut dicitur Eccle. 9, 4, quia vita non est actus nisi formae nobilissimae. Procul-dubio ergo Deum substantiam viventem esse oportet.

Necnon attendendum quod omnia haec adiectiva, ut vult Dionysius[2], incompacte de Deo dicuntur, scilicet vivus, sapiens, potens, bonus, magnus et huiusmodi. Cum enim omnia ista inhaerentiam dicant et concretionem significent, divina autem essentia, cum sit summe simplex summeque in se perfecta, et vere simplex est illud quod est quidquid habet — unde Augustinus, XI *De civitate*[3]: « In eo quod Deus ad se dicitur est quid-*quid habet, sicut ad se* *Af.88b* ipsum dicitur vivus habendo uti*que vitam et* *Bf.17b* eadem vita ipse est; propter hoc utique natura dicitur simplex, cui non est aliud habens, aliud quod habetur ». Haec Augustinus — nullam concretionem sive inhaerentiam recipere potest vel aliquam ab extra perfectionem, alioquin ut Philosophus dicit, XI *Metaphysicae*[4], Deus haberet dominum, idest haberet aliud [a] ab aliquo

[a] B *aliquid*.

[1] Cap. 16, n. 32, 33 (PL 34, 466 sq.). [2] *De cael. hierarch.*, c. 2, § 3 (PG 3, 141; PL 122, 1041). [3] Cap. 10, n. 1, 2 (PL 41, 525 sq.). [4] Cf. cap. 9 (II, 608 sq.), 10 (II, 609).

nobiliori se: omne enim perficiens nobilius est perfectibili; illud autem quod nobilissimum est, quod scilicet omnia perficit, a nullo perfici potest. Et hoc dico vere Deum esse. Propter quod necessario oportet dicere quod ista adiectiva nullo modo in Deo concretionem sive inhaerentiam significant, sed potius abstractum et ipsam simplicem essentiam; unde Deus sapiens, idest qui est ipsa sapientia, potens ipsa potentia, Deus vivus, idest Deus qui utique est sua vita; non enim alio a se vivit, non ab alio vitam accepit. Iuxta quod Augustinus, I *De doctrina christiana* [1], dicit: «Illi soli possunt non absurda et indigna extimare de Deo, qui ipsum vitam cogitant». Haec Augustinus. Nam quia homines vere vivi dicuntur, qui utique non se, sed anima vivunt, quae homo non est, nec a se ipsam habent, sed a Deo, Gen. 2, 7: *Fecit Deus hominem de limo terrae et inspiravit in faciem eius spiraculum vitae.*

Amplius, ut dicit Boethius, in libro *De Trinitate* [2], «omnia praedicamenta in Deo in substantiam vertuntur, solum relatione excepta», quia omnia praedicamenta [a] in Deo substantiam significant, solum relatione excepta quae distin-

[a] A *predicta.*

[1] Cap. 8, n. 8 (PL 34, 22). [2] Cap. 4, 5, 6 (PL 64, 1252 sq.).

guit personas. * Unde sapientia Dei est ipsa* *Af. 88c*
Dei essentia, et similiter potentia est sua essentia. Vita ergo Dei est sua essentia. Unde Augustinus, I *Confessionum* [1]: « Tibi, Domine, non est aliud [a] vivere ». Ut [b] sicut ipse Deus veraciter sua essentia dicitur, quae utique ab alio non habetur, sic est ipse sua vita, quae a nullo recipitur; et sicut a Dei essentia, quae * est prima et summa, fluit omnis essentia ita* *Bf. 17c*
quod quidquid est a Deo esse habet, sic [c] a Dei vita, quae est prima et summa, omnis descendit vita, ita quod quidquid est vivens a Deo vivere et vitam habet sicut et esse. Unde Augustinus, III *Confessionum* [2], ait: « Tu, Domine Deus, vita es animarum, vita vitarum, vivens teipso et non mutaris, vita animae meae ». Haec Augustinus.

Si ergo Deus est sua vita, cuius scilicet essentia est vita, quid oportuit dicere *Dei vivi?* Ego autem hic attendendum puto quod Deus iste, qui est vita vera, mortem assumpsit; mors enim nobis per peccatum inflicta aliter destrui melius non poterat [d] quam ut vita vera, cui mors praevalere non potest, in se ipsam mortem ex-

---

[a] A om. *esse, aliud.* [b] A *et.* [c] A *sicut.* [d] B *potuit.*

---

[1] Cap. 6, n. 10 (PL 32, 665). [2] Cap. 6, n. 10 (PL 32, 687).

cipiens ipsam occideret [a]: « Mors enim mortua tunc est, quando in ligno mortua vita fuit [1] ». Nam, ut ait Augustinus, in sermone *De martyribus* [b], qui incipit *In omnibus Scripturis* [2]: « In cruce Christi mors occisa est; Dominus semper vivit, sed ut occideret mortem vestitus est morte [c]; non enim potuit mors mori nisi in vita: non moritur amaritudo nisi in dulcedine, non moritur frigus nisi in calore, non est mortua mors nisi in vita. Sed quis est vita? Christus Deus noster. Haec vita induta erat morte; crucifixus est, mortuus est et resurrexit; tota
*Aj. 88d vita * interfecta morte et deglutita morte, iam vita resurrexit ». Haec Augustinus.

Quamdiu autem homo in hac vita mortali vivit, non dicitur vere vivus. Quis dicere potest vere viventem eum, qui qualibet hora mortem venturam timet continueque currit ad mortem? Propter quod Gregorius, in *Homilia* [3], ait: « Quotidianus defectus corruptionis quid est aliud quam quaedam prolixitas mortis? » Et lac. 4, 15 dicitur: *Quid est vita nostra? Va-*
*Bf. 17d *por ad mo-*dicum parens et deinceps exterminabitur*. Et sapiens illa mulier vitam nostram

[a] A *cecideret*. [b] A *matribus*. [c] B *mortem*.

[1] Prima antiphona ad Laudes in festo Exaltationis S. Crucis. [2] Sermo 315, in Appendice, n. 2 (PL 39, 2349). [3] *In Evang.*, hom. 37, n. 1 (PL 76, 1275).

aquae fluenti et currenti comparat, dicens, II Reg. 14, 14: *Omnes morimur et quasi aquae* [a] *dilabimur in terram, quae non revertuntur.* Attende sapientiam mulieris: vere enim sicut una de mulieribus sapientibus locuta est [1]. Sicut enim aqua continue labitur, sic quilibet continue moritur quousque ad terminum mortis veniat, et tunc non moritur, sed mortuus est. In termino enim [b] mortis, ut vult Philosophus [2], non est motus, sed motum esse; motus autem est in via sive in medio. Sicut cum aliquid corrumpitur, ex quo incipit corrumpi dicitur quod corrumpitur, quando autem est in termino corruptionis, tunc non corrumpitur, sed corruptum est; ita est de morte, quae corruptio est. Quamdiu enim sumus in via ad terminum mortis, vere mori dicimur; quando autem in termino erimus, tunc non dicemur mori, sed mortui, iuxta illud Sap. 5, 13: *Nos nati continuo desinimus esse, sicut sagitta emissa in locum destinatum.*

Quis ergo eum dicat vivum, qui continue in morte existens moritur? Unde Augustinus, XIII *De civitate,* cap. 10: « Ex quo aliquis in ** *Af. 89a* isto corpore [c] morituro esse coepit, nunquam in eo non agitur ut mors veniat; hoc enim agit

[a] A *aqua.* [b] B *autem.* [c] A *corde.*

[1] Cf. Iob, 2, 10. [2] Cf. *Physic.* IV, cap. 12-14 (II, 302).

eius mutabilitas toto[a] tempore vitae huius, si tamen vita dicenda est, ut veniatur ad mortem; quia quidquid temporis vivitur de spatio vitae demitur et quotidie fit minus minusque quod restat, ut omnino nihil sit aliud tempus vitae huius quam cursus ad mortem. Quid enim aliud diebus, horis momentisque singulis agitur, do-
Bf. 18a nec ea consummata mors quae agebatur * et[b] impleatur et incipiat iam tunc esse post mortem, quod cum vita detraheretur erat in morte? Nunquam ergo in vita homo est, ex quo est in isto corpore moriente potius quam vivente». Huc usque Augustinus[1]. Nam et sententia mortis a Deo data non potest vera non esse aut aliquo casu infringi, Gen. 2, 17: *Quacumque*, inquit, *hora comederitis, morte moriemini.*

Non autem statim complete mortui sunt cum pomum vetitum gustaverunt primi parentes, sed mox mori inceperunt, continuo coeperunt corrumpi, statim mortis necessitatem sunt experti. Unde Augustinus, libro I *De baptismo parvulorum*[2]: «Quando peccavit Adam non obediens Deo, tunc morbo quodam ex repentina et pestifera concepto[c] corruptione factum est in illis, ut illa in qua creati sunt stabilitate

[a] A add. *ut mors.* [b] A om. [c] A *conceptio.*

[1] PL 41, 383. [2] Cap. 16, n. 21 (PL 44, 120sq.).

amissa per aetatum mutationes irent in mortem, quamvis annos multos postea[a] vixerint; non enim statim vel temporis puncto, sed sine intermissione labitur quidquid continua mutatione sui currit in finem non perficientem, sed consumentem ». Haec Augustinus. Propter quod Apostolus, Rom. 8, 10, dicit: *Corpus mortuum est propter peccatum;* * non dicit moriendum,* *Af.89b*
sed *mortuum:* mortuus enim proprie dici potest, qui semper mortem expectat quam fugere minime valet. Unde et Ioannes, Apoc. 3, 1, ait: *Nomen habes quod vivas, et mortuus es;* quasi dicat: licet dicaris vivere dum es in hac vita mortali, vere tamen non vivis, sed potius moreris. Nam « vita est actus continuus fluens ab ente quieto et sempiterno [1] ».

Omnia ergo tempori subiecta, quae utique mobilia et transmutabilia sunt nec quietem habere possunt, cum tempus [2] non sit nisi « mensura motus », motus autem actus incompleti est, necesse est corruptibilia esse conti-*nuaque cor-* *Bf.18b*
ruptione deficere ac per hoc perpetua esse non posse: omne enim corruptibile aliquando cor-

[a] B om.

[1] *De causis,* § 17 (ed. cit., p. 179). Cf. Alfredus Anglicus, *De motu cordis,* cap. 1, nn. 4 et 5; Alex. Hal., *Summa theol.,* II, nn. 474sqq. [2] Aristot., *Physic.* IV, cap. 14, text. 133.

rumpetur. Unde Eccli. 14, 20 dicitur: *Omne opus corruptibile in fine deficiet, et qui illud operatur, ibit cum illo;* et Augustinus, IV *Confessionum* [1], ait: « Quae oriuntur et occidunt et crescunt ut perficiantur et perfecta senescunt et intereunt, quo magis celeriter crescunt ut sint, eo magis festinant ut non sint ». Haec Augustinus. Tempus enim facit distare quod est; propter quod et tempus dictum est causam esse corruptionis. Unde Sap. 2, 5 dicitur: *Umbrae enim* [a] *transitus est tempus nostrum;* et Augustinus, in libro XIII *De civitate* [2], dicit quod « Deus post peccatum tradidit hominem tempori », idest continuae corruptioni. Propter quod et, Apoc. 10, 6, angelus *iurat per viventem in saecula saeculorum quod amplius non erit tempus,* in sanctis scilicet qui impassibiles et immortales erunt; quia de malis, quos continue mors depascet, scriptum est in Psalmo [3]: *Erit tempus eorum in saecula.*

Cum autem in resurrectione immortalia cor-
* *Af. 89c* pora ac per-*petua resumemus, tunc proprie viventes erimus ac vivi vere dicemur. Unde et Dominus noster Iesus Christus resurrectionem mortuorum volens probare ait, Matt. 22, 31,

[a] A om.

[1] Cap. 10, n. 15 (PL 32, n. 699). [2] Cap. 23, n. 1 (PL 41, 396). [3] Ps. 80, 16.

Marc. 12, 26, Luc. 20, 37 [a]: *Quod autem resurgant mortui, non legistis quia dixit Deus Moysi: Ego sum Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Iacob? Deus autem mortuorum non est, sed vivorum.* Ex quo vult concludere quod oportet Abraham, Isaac et Iacob resurgere ut vere viventes sint, quorum Deus esse possit. Tunc enim, ut ait Apostolus, I Cor. 15, 24-28, *erit Deus omnia in omnibus, cum ipse Filius tradiderit regnum Deo et Patri, et tunc novissima omnium inimica destruetur mors; cum enim mortale hoc induerit immortalitatem et corruptibile hoc induerit incorruptionem* [b], *tunc absorbebitur* [c] *mors in victoria* [1]: * *nolumus enim expoliari, sed supervestiri,* * *Bf. 18c* *ut absorbeatur quod mortale est a vita,* II Cor. 5, 4.

Christus ergo vere vivus secundum humanitatem dictus est, postquam die tertia resurrexit [d] mortemque in se occidit, ut *ultra illi dominari non possit.* Unde Apostolus ait, Rom. 6, 9-10: *Christus resurgens ex mortuis iam non moritur, mors illi ultra non dominabitur; quod enim mortuus est peccato mortuus est semel, quod autem vivit vivit Deo.* « Devictio enim mortis nihil aliud est quam ex mortuis resurrectio », ut dicit sa-

[a] A om. *Matt... Luc. 20.* [b] B *incorruptione.* [c] AB *absorbetur.* [d] B *resurrexit tertia die.*

[1] I Cor. 15, 53-54.

cer Hilarius, XI *De Trinitate* [1]; propter hoc Deus vivus dicitur. Christus enim *destruxit mortem, illuminavit autem vitam et incorruptionem*, ut dicitur II Tim. 1, 10. Unde Ambrosius, *Af. 89d libro III *De Trinitate* [2]: « Per quid nisi per * corporis mortem mortis vincula solvit? Morti enim mors facta est susceptio mortis in Christo ». Haec Ambrosius. Propter quod Osee 13, 14 dicit: *Ero mors tua, o mors;* et super illud Psalmi [3]: *Qui posuit animam meam ad vitam,* dicit Hieronymus [4]: « Ne eam perpetua [a] consumeret mors, mors occidit mortem, idest mors Christi occidit mortem nostram ». Haec Hieronymus. Unde et angeli mulieribus Christum in sepulcro quaerentibus dicunt, Luc. ultimo, 5: *Quid quaeritis viventem cum mortuis?*

Sic ergo Christus [b] recte dicitur *Deus vivus*, Deus secundum divinitatem, vivus secundum vere resuscitatam humanitatem in aeternumque victuram. Per ipsum enim est mors destructa et vita reparata, ut secundum Apostolum, I Cor. 15, 22, *sicut in Adam omnes moriuntur, sic in Christo omnes vivificentur* [c]. Ideo resurrexit a mortuis *primitiae dormientium,* ut *sicut per ho-*

---

[a] B *perpetuo.* [b] B om. [c] A *vivificabuntur.*

[1] Num. 35 (PL 10, 422). [2] Cap. 11, n. 84 (PL 16, 607).
[3] Ps. 65, 9. [4] *Breviar. in Psalm.*, Ps. 65 (PL 26, 1007).

minem mors, ita et per hominem resurrectio mortuorum[1], ut et[a] spem nobis resurgendi daret — quia *si Christus resurrexit, et nos resurgemus,* et *si mortui non resurgunt, neque Christus resurrexit,* ut deducit Apostolus, I Cor. 15, 16. Propterea et *multa corpora sanctorum surrexerunt* cum eo et introierunt *in sanctam civitatem et apparuerunt multis,* ut dicitur Matt. * 27, 53.* *Bf.18d* Quia, licet *mortui* simus, *vita* tamen nostra *abscondita est cum Christo in Deo,* ut dicitur Col. 3, 3 - et in paradisum hominem redire posse monstraret. Propter quod et ipsam veram humanitatem super caelos ad dexteram Dei collocavit, ubi secundum Apostolum, Hebr. 7, 25, *semper vivit ad interpellandum pro nobis;* qui et *vivificabit mortalia* * *corpora* nostra *propter inha-* * *Af.90a* *bitantem Spiritum eius* in nobis, ut dicitur Rom. 8, 11, si tamen *in novitate vitae ambulemus,* sicut *Christus surrexit a mortuis per gloriam Patris. Si enim complantati sumus similitudini mortis eius, simul et resurrectionis erimus, quia si mortui sumus cum Christo, simul etiam vivemus cum illo,* ait Paulus, Rom. 6, 4-8. Christus enim per resurrectionem ex mortuis *mortem deglutivit ut vitae aeternae heredes efficeremur,* ut dicitur[b]

[a] B om. [b] B om. *ut dicitur.*

[1] I Cor. 15, 20-21.

I Petr. 3, 22. Unde ipse dicit, Apoc. 1, 17: *Ego sum primus et novissimus,* idest Deus et homo, ut superius est expositum, *et fui mortuus, et ecce sum vivens in saecula saeculorum et habeo claves* [a] *mortis et inferni.* Propter quod cum oramus, semper de Christo dicimus: *Qui vivit et regnat in saecula saeculorum,* idest in aeternum; quia, licet saeculum sit tempus certum et determinatum [b], tamen cum duplicatur ut dicatur 'saeculum saeculorum', ut dicit Rabbi Moyses [1], significat aeternitatem.

Huius ergo Dei *viventis in saecula saeculorum* [2], idest Dei veri et hominis Christi Iesu a mortuis resurgentis, *signum* habere dicitur iste *alter angelus ab ortu solis ascendens,* scilicet beatus Franciscus, cum Ioannes dicit *habentem signum Dei vivi.* Quid autem sit istud signum, hic maxime video requirendum, quia multa signa in Sacra Scriptura leguntur. Non est autem istud signum quod datum est [c] ab angelo pastoribus in Christi nativitate, cum dicitur Luc. 2, 12: *Hoc vobis signum: invenietis infantem pannis involutum et positum in praese-*

[a] A *clavem.* [b] B *destinatum.* [c] A om.

[1] Rabi Mossei Aegypti *Dux seu Director dubitantium aut perplexorum,* II, c. 29, Parisiis 1520, f. 57r: « Tu vero scis quod hoc nomen *secula* non significat firmitatem sempiternam nisi cum adiungitur huic nomini *seculorum* ».
[2] Apoc. 4, 9, 10.

pio; nam hoc signo inventus est Christus im-
perfectorum ac debilium formam habens, utpote *Bf.19a
qui in [a] infantilibus membris ac debilibus panni-
culis * involutus, sub diversorii tecto in prae- *Af.90b
sepio reclinatus, simplicibus cognoscendus in-
fertur, quorum simplicium tam Iudaeorum quam
Gentilium animalia bruta figuram gerunt [b], bos
scilicet et asinus praesepio alligati [c]. Unde per
prophetam infidelibus adhuc Christum non co-
gnoscentibus exprobratur, Isai. 1, 3: *Cognovit
bos possessorem suum et asinus praesepe Domini
sui, populus vero meus me non cognovit;* ubi,
sicut dicit Glossa [1], per bovem quod est ani-
mal mundum « iudaicus populus intelligitur, qui
legis [d] iugum portavit », asinus autem animal
immundum oneribus aptum « populum gentilem
significat peccatorum onere gravatum ».

Propter quod scire oportet, quod signum est
quod offert se sensui « aliquid aliud praeter spe-
ciem quam ingerit sensibus faciens in intellec-
tum venire », ut Augustinus dicit, II *De doc-
trina christiana,* in principio [2]. Videamus ergo
quid facit istud signum, quod iste *alter angelus*
habere dicitur, in intellectum venire. Haud [e] du-
bium, quia nonnisi illud cuius signum est.

[a] A om. [b] B om. [c] AB *alligari.* [d] A *legi.*
[e] AB *aut.*

[1] *Ordin.*, in h. l., ap. Lyran. (ed. cit., p. 4r). [2] Cap. 1,
n. 1 (PL 34, 35).

Dicitur autem signum esse *Dei vivi,* idest Dei veri et hominis Christi a mortuis resurgentis. Nam cum scribae et pharisaei a Domino signum peterent dicentes, Matt. 12, 38-40: *Magister, volumus a te signum videre,* quia *Iudaei signa petunt, Graeci sapientiam quaerunt,* ut dicitur I Cor. 1, 22, respondit Dominus: *Generatio prava et adultera signum petit, et signum non dabitur ei nisi signum Ionae prophetae: sicut fuit Ionas in ventre ceti tribus diebus et tribus noctibus, sic erit Filius hominis in corde terrae tribus diebus et tribus noctibus;* et Ioan. 2, 18-21: *Dixerunt Iudaei ad Iesum: Quod signum ostendis nobis quia*
* *B f. 19b* *haec facis? Respondit eis: Solvite templum* * *hoc*
* *A f. 90c* *et in tribus diebus* * *excitabo illud; hoc autem dicebat de templo corporis sui.* Videsne quia dicit se non aliud signum daturum ad se cognoscendum quam resurrectionis ex mortuis? Hoc est enim recte illud signum quod praedictum est per Isai. 7, 11: *Pete tibi signum a Domino Deo tuo sive in profundum inferni sive in excelsum supra.* Per resurrectionem enim ex mortuis Christus ex [a] inferni profundo usque super caelos ascendit, cum ablatis portis inferni aeternales paradisi portas patefecit, qui ‘aeternitatis nobis aditum devicta morte reseravit’ [1].

[a] A *et.*

[1] Oratio officii liturgici in die Paschae.

Quaerendum ergo nobis est quod est istud signum, per quod Christus a mortuis surrexisse cognoscitur. Sed audi beatum Thomam apostolum gloriosum, qui, ut omnem dubietatem a fidelium cordibus de Domini resurrectione auferret, hoc signum [a] diligentissime perquirere voluit, ut verus peripateticus, veritatis scilicet inquisitor, effectus, omnibus infidelium paralogismis occurreret ac veritatem agnitam quasi analytice [b] liquido ad sensum monstraret. Nam, ut dicitur Ioan. 20, 25-29, cum Dominus post resurrectionem absente Thoma ad discipulos veniret dixissentque ei discipuli quia *vidimus Dominum*, respondit Thomas: *Nisi videro in manibus eius fixuram clavorum et mittam digitum meum in locum clavorum et mittam manum meam in latus eius, non credam. Venit* iterum Iesus, ubi erant discipuli *et Thomas cum eis. Dicit Thomae: Infer digitum tuum huc et vide manus meas, et affer manum tuam et mitte in latus meum, et noli esse incredulus, sed fidelis.* Tunc Thomas agnovit, tunc credidit, tunc dixit [c]: *Dominus* * *meus* *Af. 90d* *et Deus* [d] *meus.* Quia signa mortis vidit, et eum resurrexisse ac vere viventem esse credidit, ** *Bf. 19c* propterea dicit ei Dominus: *Quia vidisti me, Thoma, credidisti, beati qui non viderunt et cre-*

[a] B om. [b] A *amaletice* B *analetice.* [c] B om.
[d] A *Deus meus et Dominus.*

diderunt. Non enim resurrectio aliter resolutorie cognosci potest quam per signa mortis. Unde beatus Thomas, huius veritatis tam certitudinaliter agnitae testis veridicus factus, in Apostolorum symbolo hanc particulam posuit: *Descendit ad inferos, tertia die resurrexit a mortuis* [1].

Nonne ergo tibi videtur hoc signum verum [a] esse quo Christus a mortuis surrexisse cognoscitur, cicatrices vulnerum eius? Nam, ut sequitur ibi, Ioan. 20, 30-31: *Multa alia signa fecit Iesus in conspectu discipulorum suorum, quae non sunt scripta in libro hoc; haec autem scripta sunt, ut credatis quia Iesus est Filius Dei et ut credentes vitam habeatis in nomine eius.* Hoc ergo praecipuum [b] fidei nostrae signum est, quo Christus a mortuis resurgens cognoscitur, plagae mortis eius, cicatrices vulnerum eius; hoc est enim signum illud [c] salutis eorum qui sanati sunt *per te omnium salvatorem,* in quo *ostendisti inimicis nostris quia tu es qui liberas ab omni malo,* ut dicitur Sap. 16, 7. Vere ergo iste *alter angelus Dei vivi signum habet,* qui *stigmata Domini nostri Iesu* Christi *in* corpore [d] suo portat [e] [2], ut est in superioribus [f] declaratum.

---

[a] A *verum signum.* [b] A *principium.* [c] B om. [d] A *corde.* [e] B *portavit.* [f] B *superius* pro *in superioribus.*

---

[1] Cf. S. Bonav., III *Sent.*, d. 25, a. 1, q. 1 (III, 535).
[2] Gal. 6, 17.

Habentem signum Dei vivi [a].

Possumus autem locum istum propter contentiosos et aliter considerare [b], ut intelligamus *vivum* secundum quod dicitur ab actu vitae non primo, sed secundo, secundum modum quo dicere solemus communi modo loquendi, ut cum videmus hominem pallidum, debilem, remissum, negligentem, pigrum * ac vilem, nihil boni ope- *Af. 91a*
rari valentem, non solum moribundum, sed mortuum eum vocamus; cum autem e contrario videmus hominem coloratum, audacem, ferocem, promptum, fortem, discurrentem, omnia viriliter operantem, * eum vivum sive vividum vo- *Bf. 19d*
camus, ad cuius etiam similitudinem argentum illud, quod mobilissimum est, vivum dicitur. Et quia *omnibus mobilibus mobilior est Sapientia,* ut dicitur Sap. 7, 24, quia *attingit a fine usque ad finem fortiter et* [c] *disponit omnia suaviter,* ut dicitur Sap. 8, 1, ipsa dicit Prov. 8, 35-36: *Qui me invenerit, inveniet vitam et hauriet salutem a Domino, et omnes qui me oderunt diligunt mortem,* quia *lignum vitae est his qui apprehenderint eam et qui tenuerit eam beatus,* ut dicitur Prov. 3, 18. Propterea dicitur Eccli. 4, 12-13: *Sapientia filiis suis vitam inspirat, et qui illam*

---

[a] A om. *H. s. D. v.* [b] AB *consolari.* [c] B om.

diligit diligit vitam, et qui tenuerint eam vitam hereditabunt.

Christus autem, *virtus et sapientia Dei*[1], ut in superioribus dictum est, infirmis ac debilibus condescendens, debiles ac imperfectos aliquando actus exercuit, factus infirmis infirmus [a], utpote qui et carnem infirmam assumpserat atque mortalem quique pro peccatoribus vocandis ad poenitentiam infirmisque curandis ac errantibus dirigendis omnibusque salvandis advenerat[2]; spiritu tamen promptus et fervidus, *omnis consummationis*[3] ac perfectionis actus ostendit, et hoc maxime tempore passionis. Hoc enim est *a fine usque ad finem attingere fortiter*[4], quia
Af. 91b virtus est, idest a passione usque ad resur-*rectionem, a mortalitate usque ad immortalitatem, ab infimo inferno usque ad caelum supremum; quia *usque ad caelum contingebat stans in terra,* Sap. 18, 16. *Disponitque omnia suaviter,* quia et ipse sapientia est Dei, dum omnibus iuxta status varios et conditiones diversas se exhibet perfectionis exemplar. Suamque virtutem ostendit, dum inimicos fortiter debellavit; suamque sapientiam, dum suos in inferno detentos miseri-

[a] A *infermus.*

[1] I Cor. 1, 24. [2] Cf. Bulla *Exiit,* art. 2, n. 2. *Seraph. legislat. textus originales,* p. 191 sq. [3] Cf. Ps. 118, 96. [4] Sap. 8, 1.

corditer liberavit. Unde ipse ait, Matt. 26, 41: *Spiritus * quidem promptus est, caro autem infirma.* Bf.20a

Cuius, obsecro, vox illa est: *Tristis est anima mea usque ad mortem* [1], atque illa quam et saepe repetiit: *Pater, si fieri potest, transeat a me calix iste?* nisi sensualitatis carnis infirmae, dirae passionis et mortis sibi imminentis naturali motu horrore concussae, in tantum ut in hac agonia persistens sanguinem pro sudore emitteret guttatim usque ad terram fluentem, ut dicitur Luc. 22, 44; quia etsi Patri *omnia possibilia sunt* [2], « impossibile tamen est homini passionis terrore non vinci », ut Hilarius dicit, libro X *De Trinitate* [3]. Spiritu tamen virilis et audax, ad Patrem ait [4]: *Non mea voluntas, sed tua fiat,* cui scilicet spiritus debet esse subiectus ac caro spiritui in nullo etiam timore mortis debet esse rebellis; ipsis etiam crucifixoribus obviam vadit ac dicit: *Quem quaeritis? ego sum,* Ioan. 18, 4-5; et cum discipulis suis praediceret quia oportet eum Ierosolimis *multa pati* et crucifigi, dixissetque ei [a] Petrus: *Absit a te, Domine, non erit tibi hoc,* ait Petro: *Vade retro,*

[a] B om.

[1] Matt. 26, 38, 39. [2] Marc. 14, 36. [3] Num. 38 (PL 10, 373). [4] Luc. 22, 42.

*Af.91c *Satanas, quia non sapis * ea quae Dei sunt, sed quae hominum,* Matt. [a] 16, 22. Nam ut Ambrosius ait, II libro *De Trinitate* [1]: « Christus ut homo turbatur, non turbatur virtus, sed turbatur anima secundum humanae fragilitatis susceptionem: quia suscepit animam, suscepit et animae passiones ». Haec Ambrosius. Propter hoc Ipse in Psalmo [2] ad Patrem ait: *Quantas ostendisti mihi tribulationes multas et malas, et conversus vivificasti me et de abyssis terrae iterum reduxisti me;* super quo Hieronymus [3] ait: « Multae quidem ei tribulationes in carne ostensae sunt ob salutem humani generis, sed omnia vivaciter toleravit de inferni profunditate reductus ». Haec Hieronymus. At postmodum in crucem actus opprobria, blasphemias, flagella,
*Bf.20b vulnera ac mortem durissimam aequa-*nimiter ac patientissime tolerans vigore spiritus omnia [b] superavit, ubi et salutem omnium sitiens omnesque ad se trahere cupiens pro ipsis etiam suis crucifixoribus exoravit, ac *cum clamore valido et lacrimis* Patri spiritum offerens, *pro sua reverentia* exaudiri promeruit, ut Paulus ait, Hebr. 5, 7.

---

[a] A om. [b] A *anima.*

---

[1] Cap. 7, n. 56 (PL 16, 571). [2] Ps. 70, 20. [3] *Breviar. in Psalm.*, Ps. 70 (PL 26, 1027).

Vis audire qualiter Christus in passione simul infirmitatem carnis ostendit et spiritus vigorem habuit? Audi quid Hilarius dicit, libro X *De Trinitate* [1]: « Quis, inquit, in manus[a] Patris commendavit spiritum suum et quis in paradiso die eadem fuerit et quis derelinqui se a Deo questus sit? Nam querela derelicti morientis infirmitas est, promissio paradisi viventis Dei regnan-*tis est, commendatio spiritus* *A f. 91d*
commendantis fiducia est, traditio spiritus morientis excessio est. Quaero itaque, quis moritur? nempe qui tradit spiritum; quis tradit spiritum? utique qui Patri commendat spiritum suum. Quod si idem est commendans spiritum atque tradens et paradisum donans, et regnans moritur et mortuus regnat ». Haec Hilarius.

Omnibus ergo malis ac poenis superatis omnibusque adversariis triumphatis, nam *expolians principatus et potestates confidenter transduxit palam triumphans illos in semetipso,* ut dicit Apostolus, Col. 2, 15, spiritus eius inferno praedato regrediens corpusque primum reassumens tertia die ut *leo de tribu Iuda, radix David,* qui dicitur manu fortis, omnia *vicit,* ut dicitur Apoc. 5, 5. Iuxta quod et Iacob patriarcha filium suum Iudam benedicens, quae in Christo

[a] B *manibus.*

[1] Num. 61 (PL 10, 391).

futura erant praevidens, ait, Gen. 49, 9: *Ad*[a] *praedam, fili mi, ascendisti, requiescens accubuisti ut leo, quis suscitabit eum?* Quasi dicat: nullus alius, quia ipse se Christus sua virtute
Bf. 20c suscitavit, non aliena. Unde Ambrosius, libro III *De Trinitate*[1]: « Quomodo potuit adiutorium sui corporis quaerere suscitandi, qui alios suscitavit »? Quasi dicat: non potuit.

Tunc ergo Christus recte *vivus* apparuit, tunc vere vividus dici potuit, ubi, sicut dictum est, virtutum apices omnisque perfectionis consummationem ostendit. Unde I Petr. 3, 18 dicitur: *Christus semel pro peccatis nostris mortuus est,*
Af. 92a *iustus * pro iniustis, ut nos offerret Deo, mortificatus quidem carne, vivificatus autem spiritu;* non, ut quidam male legunt, '*mortificatos*' et '*vivificatos*'. Quia *etsi crucifixus est ex infirmitate, vivit tamen ex virtute Dei,* ut dicitur II Cor. 13, 4. Unde Ambrosius, in[b] libro IV *De Trinitate*[2], sic ait: « Ideo angeli, Dominum omnium primum ac solum de morte triumphantem venire cernentes, tollere portas principibus imperabant, cum admiratione dicentes: *Tollite portas, principes, vestras, et elevamini, portae aeternales, et introibit rex gloriae*[3]. Erant tamen adhuc et in

[a] A *a*. [b] B om.

[1] Cap. 4, n. 28 (PL 16, 595). [2] Cap. 1, n. 9-14 (PL 16, 619). [3] Ps. 23, 7-10.

caelestibus qui stuperent, qui admirarentur novam pompam, novam gloriam, et ideo requirebant: *Quis est iste rex gloriae?* Quia et angelus processus habet scientiae et capacitatem profectus: solus enim sine processu Deus, qui in omni perfectione semper aeternus est. Dicebant alii, illi utique qui adfuerant resurgenti, qui viderant vel iam cognoverant: *Dominus fortis et potens, Dominus potens in praelio.* Iterum multitudo angelorum triumphali agmine praecinebant [a]: *Tollite portas, principes, vestras, et elevamini, portae aeternales, et introibit rex gloriae.* Rursus alii stupentes dicebant: *Quis est iste rex gloriae* [b]? Vidimus eum, et non habebat speciem neque decorem [1]; si ergo ipse non est, *quis est iste rex gloriae?* Respondetur a scientibus: *Dominus virtutum, ipse est rex gloriae* ». Huc usque Ambrosius. Super hoc etiam verbum Psalmi dicit Hieronymus [2]: « Merito *virtutum Dominus,* qui pro nobis homo factus, morti traditus, infernalibus est tenebris addictus, quod clementer suscepit, patienter toleravit, * fortiter vicit, mirabiliter consummavit; qui cum virtute conculcans * inferos, cum triumpho rediens ad superos, cum gloria ascendit ad caelos ». Haec Hieronymus.

Af. 92b

Bf. 20d

[a] A *precinebat.* [b] AB om. *rursus... gloriae.*

[1] Isai. 53, 2. [2] *Breviar. in Psalm.,* Ps 23. (PL 26, 889).

Propter quod et Apostolus ait, Rom. 8, 12-13: *Ergo, fratres, debitores sumus non carni ut secundum carnem vivamus; si enim secundum carnem vixeritis, moriemini, si autem spiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis.* Quia, ut ipse dicit, Gal. 6, 8: *Qui seminat in carne, de carne et metet corruptionem, qui autem seminat in spiritu, de spiritu et*[a] *metet vitam aeternam. Si* ergo *spiritu vivimus, spiritu et ambulemus,* et *si spiritu ambulamus, desideria carnis non perficiemus,* ut dicitur Gal. 5, 16, 25. Et II Cor. 10, 3-5 dicit: *In carne ambulantes, non secundum carnem militamus; nam arma militiae nostrae non sunt carnalia, sed potentia Deo ad destructionem munitionum, consilia destruentes et omnem altitudinem extollentem*[b] *se adversus scientiam Dei. Si* ergo *consurrexistis*[c] *cum Christo, quae sursum sunt quaerite ubi Christus est in dextera Dei sedens, quae sursum sunt sapite, non quae super terram,* ut Apostolus hortatur, Col. 3, 1-2. *Regeneravit* enim *nos* Deus *in spem vivam per resurrectionem Iesu Christi ex mortuis,* ut dicitur I Petr. 1, 3; quia ut ipsa incarnata Sapientia ait, Eccli. 24, 25-26: *In me omnis spes vitae et virtutis, in me omnis gratia vitae et veritatis; transite* ergo *ad me, omnes qui concupiscitis me,*

---

[a] B om. [b] B *extollentie.* [c] B *consurrexisti.*

et a generationibus meis implemini [a]. Unde Gregorius, II *Dialogorum* [1], ait: « Inde surrexit ultra se infirmitas nostra, unde infirmata est sub se firmitas Dei ».

Quia ergo beatus * pater Franciscus, ut* *Af. 92c* est in superioribus declaratum, ut spiritu fortis et vividus sectatorque Christi perfectus, actus virtutum Christi perfectissimos assumpsit, *signo* hoc, scilicet *Dei vivi*, Christi victoris et triumphatoris a mortuis resurgentis, sacris videlicet Crucifixi stigmatibus, est veraciter ac mirabiliter insignitus. Propter quod et iuste Franciscus vocatus est, a franco corde dictus vel a francisca, quae est nobilitatis insigne quod olim ante proconsules * ferebatur, ait Papias [2]. Unde* *Bf. 21a* Franciscus quasi singulariter signatus. Tu ergo qui eius aciei iunctus es, diligenter attendere debes quia *arma* tua *non sunt carnalia, sed* spiritualia ac *potentia Deo* [3]; iuxta quod et [b] ipsi beato Francisco in primordio suae conversionis in visione ostensa sunt arma signum dominicae crucis habentia eique dictum est haec arma « sua [c] fore militumque suorum [4] ».

---

[a] B *adimplemini*. [b] A om. [c] B *sue*.

---

[1] Cap. 33 (PL 66, 180). [2] *Lexicon*, sub v. *franciscae* (ed. Venetiis 1491, f. 64d). Cf. I Cel., n. 120; I. de Voragine, *Leg. de S. Franc.*, n. 1. [3] II Cor. 10, 4. [4] S. Bonav., *Leg. mai.* I, 3.

Hoc ergo est signum quod habet in se iste *alter angelus ab ortu solis ascendens,* scilicet beatus Franciscus, sicut in eius persona dicit beatus apostolus Paulus, non ut apostolus, sed potius ut propheta, sicut ego ab authentico ac digno fide magistro meo didici: *Ego,* inquit, Gal. 6, 17, *stigmata Domini Iesu in cor-*
* *Af. 92d* *pore meo porto.* Non enim credere * debemus ad litteram beatum Paulum vere Christi stigmata habuisse, nisi quatenus *carnem suam cum vitiis et concupiscentiis crucifigens* [1] Christi passiones prout poterat in suo corpore [a] adimplebat, ita ut diceret: *Christo confixus sum cruci,* Gal. 2, 19. Sed quia beatus Paulus lingua erat corporis Christi mystici, cuius corporis membra sunt omnes sancti, utpote qui magister et *doctor Gentium* dictus est *in fide et veritate* [2], de alio membro corporis Christi mystici, scilicet beato Francisco, tamquam de se loquitur, sicut cum lingua mea dicit 'doleo', cum tamen in lingua dolorem non patiar, sed in alia corporis parte: quia *si patitur unum membrum, compatiuntur omnia membra,* et si *gloriatur unum membrum, congaudent omnia membra,* ut dicitur I Cor. 12, 26. Unde sequitur ibi, Gal. 6, 18: *Gratia Do-*

[a] A *corde.*

[1] Gal. 5, 24. [2] I Tim. 2, 7.

mini nostri Iesu Christi cum spiritu vestro, fratres. Amen.

Hic est ergo angelus ille, qui populum Dei ex Aegypto fugientem de Pharaonis servitute liberatum praecedere debet ut ad *locum a Deo paratum*[1], terram scilicet repromissam, quae est *terra * viventium*[2], mari diviso, peragratis de-* *Bf. 21b*
sertis, per baculum crucis Christi, Iordane mortalitatis transmisso, feliciter introducat[3]. *Observa* igitur *et audi vocem eius, nec contemnendum * putes, quia est nomen meum in illo*, ait* *Af. 93a*
Dominus Deus, Exod. 23, 21. Signum enim portat, ut ductor ac rector exercitus cognoscatur; quod videlicet signum « et venerandum eum ostendit officio et doctrina authenticum et admirabilem sanctitate[4] », quia *non est idolum in Iacob nec simulacrum videtur in Israel*, sed *Dominus Deus eius cum eo est et clangor victoriae regis in illo*, sicut Balaam prophetizat, Num. 23, 21. Hunc ergo verum Christi signiferum secure sequantur, qui saeculi tenebras fugiunt, qui principi tenebrarum servire nolunt, quia in eo ut in duce vero vexilla prodeunt summi Regis[5]. Signum enim portans quo Christus Dominus noster *principatus et potestates exspolians*

[1] Apoc. 12, 6. [2] Ps. 26, 13. [3] Cf. S. Bonav., *Leg. mai., De mirac.*, § 10, n. 9. [4] S. Bonav., *Leg. min.*, n. 63. [5] Ex hymno ad Vesperas pro festo Inventionis S. Crucis.

omnes adversarios, ut dictum est, *triumphavit* [1], nullus de dictis adversariis *de cetero* poterit sibi esse *molestus;* quin immo, secundum ipsius Apostoli prophetiam, omnes qui eius *secuti fuerint Regulam, pacem et misericordiam* [2] sine dubio assequentur [a].

Vide autem ne te aliquatenus moveat quod in superioribus dictum est, Christum aliquando infirma ac imperfectionis opera ostendisse, ut per hoc videaris Christum modo aliquo de imperfectione notare. Non enim hoc imperfectioni
* *A f. 93b* adscribitur, sed * verae ac summae perfectioni consonum probatur. Sicut enim prudens magister et doctor pro auditorum capacitate diversa, maiora maioribus, minora minoribus, suae scientiae dogmata impartitur, ita ut aliquando incipientes ac ignorantes instruens cum eis [b] loquatur acsi ipse esset similiter ut illi ignorans, sicut paedagogus balbutientes docens cum eis etiam ipse balbutit nec per hoc eius sapientiae derogatur in aliquo, quin potius, si hoc digno moderamine agat, eius doctrina et pru-
* *B f. 21c* dentia amplius commendatur. *

Quod et ipse magister et *doctor Gentium* apostolus Paulus fecisse legitur. Unde ipse ait, I Cor. 9, 20-22: *Factus sum Iudaeis tamquam iudaeus,*

---

[a] A *Assequantur.* [b] B *ei.*

---

[1] Col. 2, 15. [2] Gal. 6, 16, 17.

ut Iudaeos lucrarer, et his qui sub Lege sunt quasi sub Lege essem, cum ipse non essem sub Lege, ut eos [a] *qui sub Lege erant lucrifacerem,* et *his qui sine Lege erant tamquam sine Lege essem, cum in Lege Christi essem, ut eos lucrifacerem*; *factus sum infirmis infirmus, ut infirmos lucrifacerem*; *omnibus omnia factus sum, ut omnes facerem salvos*. Propter quod et Dei *sapientiam, quae in mysterio abscondita est, inter perfectos* loquitur, inter imperfectos autem nihil se *iudicat scire nisi* Christum *Iesum * et hunc crucifixum,* * *Af. 93c* ut ipse dicit, I Cor. 2, 2. Et infra 3, 1-2 sequitur: *Non potui vobis loqui quasi spiritualibus, sed quasi carnalibus; tamquam parvulis in Christo lac vobis potum dedi, non escam: nondum enim poteratis, sed necdum potestis, adhuc enim estis carnales.*

Sic Christus, omnis perfectionis magister, qui *facere coepit et docere* [1], semper ipse perfectus existens, infirmorum ac debilium curam gerens, sicut eorum saluti expedire noverat, eis se conformem praebebat, *cum publicanis et peccatoribus manducans et bibens* [2], ut eos ad poenitentiam invitaret ac ad se sequendum fortius animaret, quia, ut ipse ait: *Non egent qui sani*

[a] B om.

[1] Act. 1, 1. [2] Marc. 2, 16; Matt. 11, 19.

sunt medico, sed qui male habent: venit enim Filius hominis salvare quod perierat [1], sicut evangelista Matthaeus de se et aliis te potest instruere diligenter, si eum perlegeris studiose[a].

Clamavit voce magna [b].

Et quid facit iste *alter angelus* sic magnificatus, sic decoratus, sic munitus, sic signatus? Audi quid sequitur: *Et clamavit voce magna quatuor angelis, quibus datum est nocere terrae et mari, dicens* etc. Videsne quia factus est angelus iste, Dei nuntius, Christi crucifixi a mortuis resurgentis praeco, capellam habens sanguine [c] rubricatam, triumphalibus armis Christi
* *Bf. 21d* veraciter insignitam, * bullamque altissimi regis, imperatoris aeterni super omnia dominantis, baiulans, divinae voluntatis annuntiator au-
* *Af. 93d* thenticus ac le*gis Dei per totum mundum praedicator praecipuus? Nonne ergo bene clamare [d] dicitur? cui totus orbis ad praedicandum committitur, Dan. 3, 4: *Praeco clamabat valenter: Vobis dicitur populis, tribubus et linguis.*

Vere enim ipse beatus Franciscus suo clamore *ex omni tribu et lingua, populo et natione*

[a] B add. *etc.* [b] A om. *C. v. m.* [c] A *sanguinem.* [d] A *clamore.*

[1] Luc. 5, 31, 32.

ante Dei thronum *turbam magnam* adduxit, sicut in [a] infra ipse Ioannes nobis ostendit. Propter quod Dominus ait ad eum, Isai. 49, 6: *Dedi te in lucem Gentium, ut sis salus mea usque ad extremum terrae.* Unde et ipse in suae conversionis primordio per loca deserta ac solitudinis pericula nudus et vacuus ut alter *Gentium doctor* [1] incedens [b] Deique laudes in ipso nemore ac nivis frigore fervido spiritu et alacri voce decantans, ab ipsis latronibus captus inquisitusque quis esset, respondit audacter: « Praeco, inquit, sum magni regis »; at illi in foveam nivibus plenam eum mergentes: « lace, inquiunt, praeco Dei [2] ».

Clamat ergo et *voce magna* clamat. Nonne *vox magna* est, quae ubique per mundum universum audita est et adhuc auditur et usque ad finem mundi, audeo dicere, audietur? Sic enim ait Dominus ad eum, Isai. 58, 1: *Clama, ne cesses; quasi tuba exalta vocem tuam, et annuntia populo meo scelera eorum,* quia hoc est foedus Domini cum eo, ut dicitur Isai. 59, 21: *Hoc foedus meum cum ipsis, ait * Dominus: Spiritus* A f. 94a meus qui est in te et verba mea, quae posui in ore tuo, non recedent de ore tuo et de ore seminis*

[a] A om. [b] A *incendens.*

[1] I Tim. 2, 7; cf. II Cor. 11, 26. [2] S. Bonav., *Leg. mai.*, II, 5; I Cel., c. 7, n. 16.

tui amodo et usque in sempiternum. Quare autem hoc? nisi quia isti sunt *fortes iustitiae, plantatio Domini ad glorificandum,* ut dicitur Isai. 61, 3. Propter quod sequitur ibi[a]: *Ego Dominus dabo opus eorum in veritate et foedus perpetuum feriam cum eis, et scietur in Gentibus semen eorum et germen eorum in medio populorum; omnes qui viderint illos, cognoscent illos, quia isti sunt semen cui benedixit Dominus.*

*Bf.22a Propter quod et * officium praedicandi[b] non nominaliter, ut in quibusdam aliis, sed realiter, in ordine Minorum cognoscitur residere eisque tamquam viris praecipue apostolicis specialiter est commissum. Unde et in Regula, quam profitentur, sicut de aliis ipsi Ordini essentialibus de praedicationis officio speciale capitulum continetur, ac a Sede apostolica ipsis ex praecepto imponitur: « Iussa, inquit[1], dat Innocentius papa de praedicando », et[2]: « Dedit de poenitentia praedicanda mandatum »; quod in nullo alio Ordine hoc poteris invenire[3]. Nam, ut supra est expositum, beatus Franciscus vere fuit ille *alter angelus* qui *evangelium aeternum,* id

[a] B om. [b] B om.

[1] Antiquum responsorium *Regressis* officii S. Francisci. Cf. E. Bruning, *Cantus selecti,* Roma 1926, p. 108. [2] S. Bonav., *Leg. mai.,* III, 10. [3] Cf. S. Bonav., *Expos. sup. Regulam,* IX, 13; J. de Peckam, *Cant. pauperis,* p. 188 sq.; *Contra Kildwardby,* p. 127 sq.

est praedicationem indeficientem, *habet, ut evangelizaret sedentibus super terram et super omnem gentem et tribum et linguam, dicens voce magna: Timete Dominum et date illi honorem*, ut dicitur Apoc. 14, 6-7. Propter quod et statim in principio, cum duodenari-*um fratrum numerum [a] habuit, eos in crucis modum dividens, formam illam quam ipse Dominus [b] suis discipulis ad praedicandum missis dedit imponens, ad quatuor mundi partes direxit [1], ut *in omnem terram exiret sonus eorum et in fines orbis terrae verba eorum* [2]. *A f. 94b

Nonne tibi videtur quod adhuc hodie ipse pater in filiis vivens per totum ubique mundum vocem laudis clamoremque praedicationis emittit? Dico tibi: vix est pagus unicus, vix est mundi conus, quo patris Francisci non sit authenticus successorum sonus [3], quia et signum quod ipse portat vere est *signum* illud quod Dominus *levavit in nationes*, ut *congregaret profugos et dispersos* populi sui *colligat* [c] *a quatuor plagis terrae*, ut dicitur Isai. 11, 12; quia cum dispersi essent populi Domini quasi oves percusso [d] pastore: *Convertam*, inquit Dominus,

---

[a] B *numerum fratrum.* [b] B *Dominus ipse.* [c] A *colligeat.* [d] A *percussos.*

[1] Cf. S. Bonav., *Leg. mai.*, III, 7. [2] Rom. 10, 18.
[3] Cf. I. de Peckam, *Contra Kildw.*, p. 129.

manum meam ad minores et erunt in omni terra, ut dicitur Zachar. 13, 7. Ita habet hebraica veritas, ubi littera nostra habet: *Convertam manum meam ad parvulos,* quod idem est; si mihi
Bf.22b non credis, interroga Iudaeos. Hoc autem * vere nunc impletum est, cum fratres Minores per totum mundum dispersi verbo et exemplo ubique docent, praedicant, peccatores convertunt, infideles reducunt, manu Dei illis *cooperante et sermonem confirmante sequentibus signis* [1]. Unde Dominus ait [a] beato Francisco, qui per Iacob intelligitur, ut superius est expo-
Af.94c situm, Isai. 43, 1, 4-6: *Noli timere, serve meus * Iacob; ex quo honorabilis factus es in oculis meis et gloriosus, ego dilexi te; noli timere, quia ego tecum sum: ab Oriente adducam semen tuum et ab Occidente congregabo te; dicam aquiloni: da, et austro: noli prohibere.* Et quare? sequitur [2]: *In meam gloriam creavi eum, formavi eum et feci eum; vere vos testes mei, dicit Dominus, et servus meus quem elegi; populum istum formavi mihi, laudem meam narrabit* [b].

Quatuor angelis [c].

Sed attende quia clamat *quatuor angelis.* Istos autem quatuor angelos, contra quos clamat,

[a] B om. [b] AB *narrabat.* [c] A om. *Q. a.*

[1] Marc. 16, 20. [2] Isai. 43, 7, 10, 21.

non angelos bonos, sed malos puto debere intelligi, propter id quod sequitur: *Quibus datum est nocere* etc. Non enim credendum est eum qui bonos angelos ad hominum custodiam deputavit, qui semper *in ministerium mittuntur propter eos qui hereditatem capiunt salutis*, ut dicitur Hebr. 1, 14, eis dedisse nocere, sed prodesse. Per istos autem quatuor intelligo omnem malorum angelorum multitudinem, quibus videlicet omnibus *datum est nocere terrae* etc.; sed tantum quatuor hic dicuntur et exprimuntur, qui scilicet principales sunt et principatum super alios ad male faciendum obtinent. Quia enim filii tenebrarum *prudentiores filiis lucis in generatione sua sunt*, ut Dominus ait, Luc. 16, 8, sicut vident Ecclesiam contra quam pugnant ut *castrorum aciem ordinatam* [1], sicut etiam vident ipsos lucis filios bonos angelos ordinate sua ministeria [a] exercere, sic et ipsi student ordinate inter se suae maledictionis officia * agere [2]; * propter quod inter eos sunt principatus et potestates, aliorum praepositi atque rectores, contra quos nos Apostolus admonet, Ephes. 6, 10-12, dicens: *Fratres, confortamini in Domino et in potentia*

* *Af. 94d*

* *Bf. 22c*

[a] B *misteria*.

[1] Cantic. 6, 3. [2] S. Bonav., II *Sent.*, d. 6, a. 3, q. 2.

virtutis eius; induite vos armaturam Dei, ut possitis stare adversus insidias diaboli, quia non est nobis colluctatio adversus carnem et sanguinem, supple 'tantum', *sed adversus principes et potestates, adversus mundi rectores, contra spiritualia nequitiae in caelestibus.*

Isti ergo quatuor sunt qui per [a] quatuor mundi plagas aliis principantur, ut unus sit in Oriente, alius in Occidente, alius in Septentrione, alius in Meridie, quilibet cum suo exercitu, ut sic totum mundum circumdent totumque percurrant, satagentes ubique fideles omnes pro viribus expugnare. Propter quod et ipse beatus pater Franciscus ad istas [b] quatuor mundi partes primos suos fratres destinavit.

Isti enim ad litteram sunt illi quatuor angeli, de quibus Ioannes sub eodem sigillo sexto ait, Apoc. 7, 1: *Vidi,* inquit, *quatuor angelos stantes supra quatuor angulos terrae, tenentes quatuor ventos terrae, ne flarent super terram neque super mare neque in ullam arborem;* ubi Glossa [1]: Angelos tenebrarum intellige, qui quatuor dicuntur « pro quatuor mundi partibus ». *Stant* autem, idest morantur, *super angulos terrae,* idest etiam in remotissimis locis. Quatuor au-

[a] B om. [b] AB *ista.*

[1] *Ordin.*, in h. l., ap. Lyran. (ed. cit. p. 250v).

tem principales venti * secundum praedictas* *A f. 95a*
quatuor mundi plagas accipiuntur. Quid autem per 'terram', quid per 'mare', quid per 'arbores' intelligatur, inferius exponetur.

Isti sunt illi *quatuor venti* qui *pugnant in mari magno,* idest in mundo isto, et *quatuor bestiae* quae ex ipso *mari ascendunt,* ut dicitur Dan. 7, 3; ubi Glossa [1]: « Quatuor venti angelicae virtutes, quae regnis in quadripartito positis ** *B f. 22d*
praesunt, potestates scilicet contrariae ». Haec Glossa.

Isti etiam sunt illi *quatuor angeli, qui alligati sunt* et solvendi erant sexta aetate; propterea Ioannes ait, Apoc. 9, 14-15, quod cum sextus angelus tuba cecinisset, audivit vocem dicentem angelo sexto: *Solve quatuor angelos, qui alligati sunt in flumine magno Eufrate* — Eufrates autem fluvius est Babyloniae, idest confusionis [2] — *et soluti sunt quatuor angeli qui parati erant in horam et diem et mensem et annum,* idest continue, sine aliqua interruptione, *ut occiderent tertiam partem hominum.*

Isti sunt illi quatuor fabri, quos angelus Domini Zachariae prophetae ostendit, qui vadunt *deterrere et deicere cornua* superbiae omnium *gentium,* ut dicitur Zach. 1, 21.

---

[1] *Ordin.*, in h. l., ap. Lyran. (ed. cit. p. 309r). [2] Hieronymus, *De nom. hebraicis* (PL 23, 776, 802, 827).

Quibus datum est nocere [a].

Propterea sequitur: *Quibus datum est nocere.* A quo autem data sit potestas [b] nocendi, non dubium quia [c] a Deo: *non est enim potestas nisi a Deo,* ut ait Paulus, Rom. 13, 1. Sicut enim omnis essentia nonnisi a divina essentia esse habet, sic omnis potentia a divina potentia est, ubi idem est essentia et potentia, ac per hoc omne potens a Deo posse habet sicut
Af. 95b et esse. * Si autem a Deo, utique iusta et ordinata est: *quae* enim *a Deo sunt ordinata sunt,* ut dicitur Rom. 13, 1. Unde Augustinus, *Super Genesim,* libro XI, in principio [1]: « Nocendi voluntas potest esse a suo quoque animo prava; potestas autem nisi a Deo esse non potest, et hoc abdita [d] altaque iustitia, quia non est iniquitas apud Deum ». Haec Augustinus.

Si autem nocendi potestas illis tradita iusta et ordinata est, non ergo nocere possunt nisi quibus ut noceatur iustum et ordinatum est; nam ut Apostolus ait, Rom. 13, 3-4: *Princeps non est timori boni operis, sed mali: Dei enim*

[a] A om. *Q. d. e. n.* [b] B *data est potentia* pro *autem... potestas.* [c] In A add. interl. [d] B *addita.*

[1] Cap. 3, n. 5 (PL 34, 431).

minister est, vindex in iram ei qui malum agit. Augustinus quoque, *Super epistolam ad Romanos* [1], sic ait: « Ipse *spiritus servitutis* est, non habet quemquam in potestate nisi illum [a] qui ei per ordinem divinae [b] providentiae traditus fuerit, divina iustitia * sua unicuique tri- *Bf. 23a
buente; quam potestatem acceperat Apostolus, cum dicit de quibusdam [2]: *Tradidi eos Satanae, ut discant non blasphemare* ». Haec Augustinus. Licet enim aliquando [c] ipsis electis Deo permittente mala inferant, non tamen eis nocent, sed potius prosunt, sicut Iob et Tobias verbis et exemplis te de hoc sufficienter [d] instruere possunt, quia, ut dicitur Rom. 8, 28, *diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, his qui secundum propositum vocati sunt sancti;* et Augustinus, *Super Genesim,* XI [3], quod potestas nocendi datur daemonibus « aut ad subvertenda ac perdenda *vasa irae* aut ad humilianda seu probanda *vasa misericordiae* ». Haec Augustinus.

Hi autem, quibus digne iusteque ab iis nocetur, non sunt nisi qui propria voluntate eo-

[a] B *ei,* A om. [b] A *diem.* [c] B add. *ab.* [d] A *sufficientes.*

[1] *Expositio quarumdam propositionum,* n. 52 (PL 35, 2074). [2] Rom. 8, 15; I Tim. 1, 20. [3] Cap. 12, num. 16 (PL 34, 435.); Rom. 9, 22-23.

*Af. 95c rum se subiciunt po-*testati ac ut eis noceatur se dignos efficiunt: nemo enim iuste pati poenam dicitur, nisi qui voluntate propria culpam commisit. Isti ergo peccatores sunt, qui malorum angelorum suggestionibus ad nutum obediunt. Licet enim *non* sit *super terram potestas quae eorum possit potestatibus adaequari* vel comparari, ut dicitur Iob 41, 24, divina autem potentia per bonorum angelorum ministerium ita coercentur, ut nulli nocere possint, nisi ei qui sua propria voluntate Dei transgrediendo praecepta se ipsis submiserit: quia, quamvis diabolus fortissimus sit, non tamen potest vincere nisi volentem; unde Iac. 4, 7 dicitur: *Subditi estote Deo, resistite diabolo et fugiet a vobis.*

Terrae [a].

Propterea ausculta quid sequitur: *Datum est,* inquit, *nocere terrae et mari* etc. Caelo autem, idest quibus in caelo habitatio est, quorum *conversatio in caelis est* [1], quibus hic manens civitas *Bf. 23b non est, sed * ut *peregrini et advenae* [2] in hoc mundo ad *futuram* patriam et *manentem civitatem*

[a] A om.

[1] Philipp. 3, 20. [2] I Paral. 29, 15; Hebr. 13, 14.

iugiter aspirant, non est proculdubio datum nocere. Unde Apoc. 12, 12: *Laetamini, caeli et qui habitatis in eis; vae autem terrae et mari, quia descendit diabolus ad vos habens iram magnam, sciens quod modicum tempus habet. Sunt* enim *spiritus qui ad vindictam creati sunt et in furore suo confirmaverunt tormenta sua,* ut dicitur Eccli. 39, 33.

Quid autem per ista tria quae nominat, scilicet terram, mare et arbores, intelligat, ma-** *Af. 95d*
xime video requirendum: cum haec tantum tria sint, quibus ab ipsis malis angelis noceri [a] datum sit. Arbores tamen hic non nominat; sed intelliguntur et comprehenduntur cum terra, quia sicut arbores ex terra nascuntur [b] et in terra radicantur et a terra nutrimentum et augmentum sumunt, sic superbia, quae per arbores intelligitur, ex divitiis, quae per terram intelliguntur, suum sumit initium, progressum et finem, sicut in subsequentibus [c] apparebit. Sed hoc explicatur, cum sequitur: *Nolite nocere terrae et mari neque arboribus* etc. Ego vero [d] his tribus universitatem peccatorum intelligi existimo: haec enim tria radices sunt omnium, quae in mundo sunt, vitiorum atque malorum. Nolo autem extimationi meae te credere, sed

[a] B *nocere.* [b] B *nascuntur ex terra.* [c] B *sequentibus.* [d] B add. *ex.*

audi eumdem Ioannem in prima *Canonica* sua, cap. 2, 15-17, ubi ait: *Nolite diligere mundum neque ea quae in mundo sunt,* per hoc volens omnem malam concupiscentiam abscindere; quam sic explicando prosequitur: *Omne enim quod in mundo est aut est concupiscentia oculorum aut concupiscentia carnis aut superbia vitae, quae non est ex Patre, sed ex mundo, et mundus transit et concupiscentia eius.* Haec ibi.

Concupiscentia oculorum, hoc est avaritia, 'terra' est, quae *concupiscentia oculorum* dicitur, quia homines avari quantum vident tantum vellent. Unde Eccle. 1, 8: *Non satiatur oculus visu,* et Eccli. 14, 9: *Insatiabilis oculus cupidi,*
*Bf. 23c et Eccle. 5, 9-10: *Avarus * non implebitur pe-*
*Af. 96a cunia, et qui amat divitias, fructus non ca-*piet ex eis, et hoc vanitas; et quid prodest possessori nisi quod cernit divitias oculis suis?* Avari enim totam terram vellent esse suam nec vicinum vellent. Quibus Dominus ait, Isai. 5, 8: *Vae qui coniungitis domum ad domum et agrum agro copulatis usque ad terminum loci; numquid habitatis vos soli in terra?* Propter quod Eccle. 4, 7-8 dicitur: *Considerans reperi et aliam vanitatem: unus est et secundum non habet, non filium, non fratrem, et tamen laborare non cessat, nec satiantur oculi eius divitiis, nec recogitat dicens: Cui laboro et fraudo animam meam bonis? Et in hoc quoque vanitas est et afflictio*

pessima. Tales autem recte terreni et terra sunt.

Nonne tibi videtur quod terra sit, qui nonnisi terrena cogitat, nonnisi de terra loquitur, nonnisi in terra versatur, nonnisi terram sapit, nonnisi terram diligit? *Facti sunt* enim *sicut ea quae dilexerunt* [1]. Unde Augustinus, *Super epistolam Ioannis,* sermone II [2]: « Talis quisque, qualis dilectio eius: terram diligis, terra eris; Deum diligis, quid dicam? Deus eris? non audeo dicere ex me, Scripturas audiamus: *Ego dixi: Dii estis* ». Haec Augustinus. Quod enim est pondus in corporibus [a], hoc est amor in spiritibus; iuxta quod idem Augustinus dicit [3]: « Pondus meum amor meus, eo feror quocumque feror ». Et ideo necesse est quod, si cor tuum terrena diligat, quod ad terram descendat, si caelum diligat, in caelum conscen-*dat. Nam ut Dominus dicit, Matt. 6, 21 :* *Af. 96b* *Ubi est thesaurus tuus, ibi est et cor tuum.* Si ergo in terra thesaurizas, absque dubio in terra cor tuum erit, et si in caelo, absque dubio in caelo habitabit. Bonum est ergo consilium Domini ut non in terra thesaurizes, sed *vende omnia quae habes et da pauperibus, et habebis*

[a] A *cordibus.*

[1] Osee 9, 10. [2] Num. 14 (PL 35, 1997); Ps. 81, 6.
[3] *Confess.,* XIII, c. 9 (PL 32, 840).

thesaurum in caelo [1]: quod enim pauperibus
Bf.23d erogatur, sine dubio in caelo thesaurizatur. *
Unde beatus Laurentius ait illi tyranno: « Facultates Ecclesiae quas requiris in caelestes thesauros manus pauperum deportaverunt [2] »; quia qui *dispergit* [a] *et dat pauperibus, iustitia eius manet in saeculum saeculi* [3]. *Pone* ergo *thesaurum tuum in praeceptis Altissimi et proderit tibi magis quam aurum,* ut dicitur Eccli. 29, 14. *Quid* enim *prodest homini si mundum universum lucretur, animae vero suae detrimentum patiatur* [4]?

Considera tu ipse et videbis et ne timueris, *cum dives factus fuerit homo et cum multiplicata fuerit gloria domus eius, quia cum interierit, non sumet omnia neque descendet cum eo gloria eius,* ut dicitur in Psalmo [5]. Et Iob 27, 19 dicitur: *Dives, cum dormierit, nihil secum afferet; aperiet oculos suos et nihil inveniet. Ubi,* quaeso, *sunt principes gentium, qui argentum thesaurizabant* [b] *et aurum, in quo confidunt homines, et non est finis acquisitionis illorum?* Sequitur: *Exterminati sunt et ad inferos descenderunt, et alii in locum eorum surrexerunt,* ut dicitur Baruch 3,
Af.96c 16-19. Quod enim [c] terrenum est, utique grave *

[a] A *dispersit.* [b] AB *thesaurizat.* [c] A *est.*

[1] Matt. 19, 21. [2] Antiphona ad Magnificat in secundis Vesperis pro festo S. Laurentii. [3] II Cor. 8, 9. [4] Matt. 16, 26. [5] Ps. 48, 17, 18.

est: « terrena namque substantia pondus est », ait Gregorius [1]. Terrae enim elementum super omnia grave est [a], et quod terram sapit grave esse necesse est, et quanto plus terram participat tanto gravius est; omne autem grave naturaliter tendit ad centrum, in centro autem infernus est. Propter quod necesse est animam quae terram diligit, quae utique facta est terra, super omnia ponderosa ad infernum descendere. *Omnia* enim *quae de terra sunt, in terram pariter convertentur,* ut dicitur Eccli. 40, 11. Hoc est onus illud quod unusquisque portabit [b], ut dicit Apostolus, Gal. 6, 5: *Unusquisque onus suum portabit.* Qui autem terrena non diligit, sed caelestia, absque dubio caelum est et ad caelum ascendit. Unde Hieronymus, * *Super Psalmum 133* [2]: « Quomodo dicitur peccatori: *Terra es et in terram* [c] *ibis* [3], sic et sancto [d] dicitur: Caelum es et in caelum ibis ». Haec Hieronymus. Unde et in graeco sanctus dicitur ἅγιος, idest sine terra [e]. * *Bf. 24a*

Sed dices fortasse mihi, quod quidam illusores dicere solent: si haec omnia, quae in

[a] A om. *terrena.... est.* [b] A *portat.* [c] A *terra.* [d] B *sanctos.* [e] A add. *ab* 'a' *quod est* 'sine' *et* 'gyon' *quod est* 'terra'.

[1] *In Evang.*, hom. 37, n. 1 (PL 76, 1275). [2] *Breviar. in Psalm.*, Ps. 133 (PL 26, 1226); cf. *Anecd. Maredsol.* III, p. 259. [3] Gen. 3, 19.

mundo sunt, propter homines Deus fecit, sicut in rerum creatione manifeste patet, quorum etiam omnium potestatem homini dedit Deus, propter quod dictum est[1]: *Caelum caeli Domino, terram* [a] *autem dedit filiis hominum,* propter quid homines eis frui non possunt, quae utique propter eos facta sunt? cum homo sit finis omnium, dominus omnium constitutus [b] possessorque et rector.

Sed attende. Quis nisi fatuus vellet in loco aliquo divitias congregare sive thesaurizare, unde pro certo sciret se [c] cito eiciendum nihilque inde secum ferre posse? Hoc ideo dico quia terra ista morientium est. *Non enim habemus hic manentem*
* *Af. 96d* *civi-*tatem, sed futuram inquirimus,* ait Apostolus, Hebr. 13, 14; et Salomon, Eccle. 5, 12-14, ait: *Est alia infirmitas pessima quam vidi sub sole: divitiae conservatae in malum domini sui; pereunt enim in afflictione pessima; sicut egressus est nudus de utero matris suae, sic revertetur et nihil afferet secum de labore suo.* In illa ergo qui sapiens est thesaurizare debet ubi vita erit sine morte, sicut ille qui dicebat: *Portio mea,* Domine, sit *in terra viventium*[2]. Nisi forte *foedus cum inferno* [d] *percusseris pactumque cum morte*

[a] A *terra.* [b] B add. *est.* [c] B om. [d] B *cum inferno foedus.*

[1] Ps. 113, 16. [2] Ps. 141, 6.

fecisse te credas[1]. Sed audi qualiter contra tales invehitur Isaias, 28, 14-22: *Audite,* inquit, *verbum Domini, viri illusores, qui dominamini super populum meum; dixistis enim: Percussimus foedus cum morte et cum inferno fecimus pactum; flagellum inundans cum transierit, non veniet super nos, quia posuimus mendacium spem nostram et menda-*cio protecti sumus.* Sequi- * *Bf. 24b*
tur: *Idcirco haec dicit Dominus Deus: Ponam in pondere iudicium et iustitiam in mensura, et subvertet grando spem mendacii, et delebitur foedus vestrum cum morte et pactum vestrum cum inferno non stabit; flagellum inundans cum transierit, eritis ei in conculcationem; quandocumque pertransierit, tollet vos: coangustatum est enim stratum ita ut alter decidat, et pallium breve utrumque operire non potest.* Sequitur: *Nunc ergo nolite illudere, ne forte constringantur vincula vestra: * consummationem enim et abbre-* *Af. 97a*
viationem audivi a Domino Deo exercituum super universam terram.* Haec ibi.

Propterea ait Paulus, I Cor. 7, 29-31: *Hoc dico, fratres, tempus breve est, reliquum est ut qui emunt tamquam non possidentes et qui utuntur hoc mundo tamquam non utantur: praeterit enim figura huius mundi.* Quod verbum tractans Gregorius, homilia 23 *Evangeliorum*[2], sic

[1] Isai. 28, 15, 18. [2] Hom. 36, num. 12 (PL 76, 1273).

ait: « *Emit* autem hic, sed *tamquam non possidens*, qui ad usum terrena praeparat et tamen cauta cogitatione providet quod haec citius relinquat; mundo quippe utitur, sed quasi non utitur, qui et necessaria cuncta exterius ad vitae suae ministerium redigit [a] et tamen haec eadem non sinit suae menti dominari, ut subiecta foris serviant et nunquam intentionem animi ad alta tendentis frangant. Quicumque igitur tales sunt, eis profecto terrena omnia non ad desiderium, sed ad usum adsunt, quia rebus quidem necessariis utuntur, sed nihil habere cum peccato cupiunt, de ipsis quoque rebus habitis quotidie mercedes acquirunt et plus gaudent bono opere quam bona possessione ». Haec Gregorius.

Quid ergo *necesse est homini maiora se quae-*
* *Bf. 24c* *rere, cum ignoret quid contingat sibi* * *in vita sua numero dierum peregrinationis suae et tempore quod velut umbra praeterit?* ut dicitur Eccle. 7, 1. Unde illi diviti, qui horrea sua ampliare volebat, promptuaria instaurare curabat, quique et bona plurima reposita in annos plurimos se habere gaudebat, dictum est: *Hac nocte animam tuam repetent a te*, et *quae parasti, cuius*
* *Af. 97b* *erunt? Sic est qui sibi thesaurizat et non est* * *in Deum dives*, Luc. 12, 20-21.

[a] B *ministerium redigit vitae suae* pro *vitae... redigit.*

Hoc est ergo quod te cupio scire, quomodo Deus omnia propter hominem fecit. Ausculta quid Gen. 1, 28 dicitur: *Benedixit Deus homini et ait: Crescite et multiplicamini, et replete terram et subicite eam, et dominamini piscibus maris et volatilibus caeli et universis animantibus quae moventur super terram.* Tu ergo, si homo es, super esse debes terrae et ei dominari, non terra tibi. Unde Ambrosius, libro II *De officiis*[1]: « Quid praecelsius est eo viro qui auro moveri nescit, contemptum habet pecuniarum et velut ex arce quadam despicit hominum cupiditates? Quod qui fecerit, hunc homines super homines arbitrantur. *Fecit enim mirabilia in vita sua; quia post aurum non abiit nec speravit in pecuniae thesauris*, Eccli. 31, 8-9 ». Gregorius quoque, ubi supra[2]: « Admonere vos volo ut omnia relinquatis, sed non praesumo; si ergo cuncta relinquere non potestis, sic tenete quae huius mundi sunt ut tamen per ea non teneamini in mundo, ut terrena res possideatur, non possideat, ut sub mentis vestrae sit dominio quod habetis, ne si mens vestra terrenarum rerum amore vincitur, a rebus suis magis ipsa possideatur; sit ergo res temporalis in usu, aeterna in desiderio, sit res temporalis

[1] Cap. 14, n. 66 (PL 16, 120). [2] *In Evang.*, hom. 36, n. 11 (PL 76, 1272).

in itinere, sed desideretur aeterna in perventione». Haec Gregorius. Sed proh dolor! Avaro terra dominatur, non ipse terrae; terra
Bf.24d sibi eum subiecit, * non ipse terram. Propter quod Apostolus dicit, Col. 3, 5, quod *avaritia* est idolorum *servitus*, quia avarus *servit creaturae potius quam Creatori* spemque suam et fiduciam habet magis in divitiis quam in Deo,
Af.97c aurum et argentum diligit et appetit plus quam Deum, et hoc est idolatria manifesta.

Et sequitur ibi, Gen. 1, 29-30: *Dixitque Deus: Ecce dedi vobis omnem herbam afferentem semen super terram et universa ligna quae habent in semetipsis*[a] *sementem generis sui, ut sint vobis in escam; et cunctis animantibus terrae omnique volucri caeli, ut habeant ad vescendum.* Vides ergo quare data est tibi terra? utique ad escam. Quia enim homo corpus animale habebat etiam in primo statu, ut Augustinus dicit, *Super Genesim*, libro VI[1], indigens scilicet alimoniis, providit Deus ei cibum de terra, ut qui de terra factus fuerat, de terra pariter nutriretur: ex eisdem enim, ut dicit Philosophus[2], nutrimur et sumus. Sed si *nihil intulimus in hunc mundum,*

---

[a] B *in semetipsis habent* pro *h. i. s.*

[1] Cap. 28, n. 39 (PL 34, 355). [2] Aristot., *De gen. et corr.*, II, c. 8, text. 50.

nec inde auferre quid possumus. Habentes igitur *alimenta et quibus tegamur, his contenti simus,* ut dicit Apostolus, I Tim. 6, 7.

Tu ergo, quicumque es, si aliud ex terra requiris quam victum et vestimenta secundum tuam condecentiam [a], verendum est ne de contrectatione pomi vetiti arguaris veniatque super te Domini illa sententia [1]: *Maledicta terra in opere tuo; spinas et tribulos germinabit tibi,* quae ad nihilum valent nisi ut excidantur et in ignem mittantur. Nam, ut scribit Apostolus ubi supra [2], *qui volunt divites fieri, incidunt in tentationes et in laqueum diaboli et desideria multa inutilia et nociva, quae mergunt homines in interitum et perditionem. Radix enim omnium malorum est cupiditas, quam quidam appetentes erraverunt a fide et inseruerunt se doloribus multis.* * *Tu autem, homo Dei, haec fuge.* Haec ibi. Unde Augustinus, * X *Confessionum* [3], ait [b]: « Infirmitati nostrae terra, aqua et caelum serviunt, calamitates delitiae vocantur; hoc me docuisti, Domine, quod quemadmodum medicamenta, sic sunt sumenda alimenta ». Haec Augustinus.

*Af. 97d

*Bf. 25a

[a] A *vestitum secundum tuam decentiam* pro *v. s. t. c.*
[b] A om.

[1] Gen. 3, 17, 18. Cf. Luc. 3, 9.
[2] I Tim. 6, 9-11.
[3] Cap. 31, n. 43 sq. (PL 32, 797).

Considera divitem illum, *qui induebatur purpura et bysso et epulabatur quotidie splendide*, et invenies quod *mortuus est et sepultus in inferno*, et cum *cruciaretur in flamma*, guttam aquae, idest minimum refrigerium, habere non potuit, ut dicitur Luc. 16, 19-22. Super quo Gregorius, in *Homilia* [1], sic ait: «Nemo securum se extimet, dicens: Ecce aliena non rapio, sed concessis licite rebus fruor, quia dives iste non idcirco punitus est quoniam aliena abstulit, sed quia in acceptis rebus semetipsum male dereliquit; hoc quoque solum fuit quod hunc inferno tradidit, quia in sua felicitate tumidus fuit, quia percepta dona ad usum arrogantiae inflexit, quia viscera pietatis ignoravit[a], quia peccata sua redimere, etiam cum sibi abundaret, pretio noluit. Et sunt nonnulli qui cultum subtilium pretiosarumque vestium non putant esse peccatum; quod si videlicet culpa non esset, nequaquam sermo Dei tam vigilanter exprimeret quod dives, qui torquebatur apud inferos, *bysso et purpura indutus* fuisset [2]: nemo quippe vestimenta pretiosa nisi ad inanem glo-
* *Af.98a* riam quaerit, videlicet ut honorabilior * ceteris esse videatur; nemo enim ibi vult pretiosis

[a] A om. *quia viscera... ignoravit.*

[1] *In Evang.*, II, hom. 40, n. 3 (PL 76, 1305). [2] Luc. 16. 19.

vestibus [a] indui, ubi non possit ab aliis videri ». Usque huc Gregorius.

Videsne quomodo *maledicta terra* huius divitis *in opere* suo *spinas* illi *et tribulos germinavit* [1], quibus postea comburetur? Unde Iacob. 5, 1-3: *Agite nunc, divites, plorate ululantes in miseriis * vestris, quae venient vobis; di-* Bf. 25b
vitiae vestrae putrefactae sunt et vestimenta vestra a tineis comesta sunt; aurum et argentum vestrum aeruginavit, et aerugo eorum in testimonium vobis erit et manducabit carnes vestras sicut ignis. Ubi Glossa [2]: « Aerugo pecuniae vertitur in testimonium nequitiae et augmentum poenae, quia intelligit se male congregasse ea quibus non indigebat ad usum vitae, et [b] propterea gravius punitur ». Haec Glossa.

Quin immo dico quod in vita ista terra divitibus *spinas et tribulos germinat,* quibus scilicet punguntur et lacerantur ut nec somnum capere possint, quia *saturitas divitis non sinit dormire eum* [c], ut dicitur Eccle. 5, 11. Unde et Dominus dicit, Luc. 8, 14, quod illud semen *quod cecidit inter spinas* non attulit fructum. Verbum Dei est quod intrat cor divitum, sed *a sollicitudinibus* huius saeculi *et divitiis suffo-*

[a] B add. *tibi.* [b] B om. [c] B *eum dormire.*

[1] Gen. 3, 17-18. [2] *Ordin.*, in h. l., ap. Lyran. (ed. cit. p. 215 v).

catur[a]. Super quo Gregorius, in *Homilia*[1], sic ait: « Divitiae spinae sunt, quia cogitationum suarum punctionibus mentem lacerant et, cum usque ad peccatum pertrahunt, quasi inflicto
Af. 98b vulnere cruentant »; * et in[b] infra sequitur: « Verbum suffocant, quia importunis cogitationibus guttur divitis strangulant, et dum bonum desiderium intrare ad cor non sinunt, quasi aditum flatus vitalis necant ». Haec Gregorius. Propter quod et Paulus ait, Hebr. 6, 7-8: *Terra saepe, super se venientem bibens imbrem et germinans herbam* optimam vel *opportunam illis a quibus colitur, accipit benedictionem a Deo; proferens autem spinas et tribulos, reproba est et maledicto proxima, cuius consummatio in combustionem.* Quod verbum tractans Origenes, *Super Leviticum,* homilia ultima[2], sic ait:
Bf. 25c « * Numquid Apostolus de terra hac dixit? Sed nec accipit terra maledictiones a Deo[c] nec benedictiones, sed nostra terra, idest nostrum cor, si suscipiat super se frequenter pluviam doctrinae legis et attulerit fructum operum, accipiet benedictiones; si vero non opus spirituale, sed *spinas ac tribulos*, idest sollicitu-

[a] B *suffocantur.* [b] A om. [c] B om. *a Deo.*

[1] *In Evang.*, I, Hom. 15, n. 1 (PL 76, 1131), et infra, n. 3 (PL 76, 1133). [2] Num. 2 (PG 12, 565).

dines saeculi, habeat, voluptatum et divitiarum cupiditates, *reproba est et maledicto proxima,* cuius finis adustio est». Haec Origenes.

Haec autem maxime attendere debent, quibus ipsa pretiosa paupertas iam non in consilio, sed in praecepto existit, qui ad ipsam, arctius et perfectius Christum sequi volentes, se voto astringere voluerunt altissimae paupertatis Christi sectatores effecti, cuius celsitudo mirifica eos « *heredes et reges regni caelorum instituit virtutibus sublimando* », sicut clare dicitur in sanctissima illa Regula [1] fratrum Minorum beato patri Francisco a *Patre spirituum* [2] revelata; * de quibus Isai. 29, 19: *Pauperes homines in* * *Af. 98c*
sancto Israel exultabunt, et Isai. 14, 30: *Pascentur primogeniti pauperum et pauperes fiducialiter requiescent.* Sicut enim divites saeculi assequuntur omnia necessaria divitiis suis, sic praedicti pauperes ratione suae paupertatis consequuntur necessariorum abundantiam et eis paupertatis Christi intuitu necessaria conferuntur. Et ideo merito debent eam servare perfectam sicut homines divites suum sollicite thesaurum custodiunt, exemplo Isaac, de quo narrat Gregorius, libro III *Dialogorum,* cap. 14 [3], quod « sic metuebat paupertatis suae securitatem perdere, quomodo divites avari solent pe-

[1] Cap. 6. [2] Hebr. 12, 9. [3] PL 77, 245.

rituras divitias custodire ». Et ibidem dicitur
*Bf. 25d quod « monachus, qui in terra pos-*sessionem quaerit, monachus non est ». Et in *Vitis Patrum*, libro II, cap. 6, dicitur[1] quod « thesaurus monachi est voluntaria paupertas ». Merito ergo custodienda est a suo professore sicut pretiosus thesaurus, quo qui bene servaverit, hic consequitur sustentationem et in futuro aeternam beatitudinem.

Cuius fervidus amator et sollicitus conservator et aemulus zelator fuit pauperum patriarcha Franciscus, de quo dicitur in *Vita* sua[2] quod « nemo tam cupidus auri quam ipse paupertatis nec thesauri sui custodiendi sollicitior ullus sicut ipse huius evangelicae margaritae », qui etiam eam sibi vinculo insolubili desponsavit. Nec immerito: ipsa enim est puellae cuidam pulcrae similis, cuius oculus purus et praeclarus, nihil habens turbulentum, ad omnes respi-
*Af. 98d ciens, mitis, * humilis, nullum habens odio, prout ait Chrysostomus, *Super Matthaeum*, homilia ultima[3].

Hanc similiter sibi desponsat omnis eius professor. Sed mirum in modum multi professores ipsius non videntur eam amare vel zelare seu

---

[1] Potius libr. V, libell. 6, n. 14 (PL 73, 891). [2] S. Bonav., *Leg. mai.*, VII, 1. [3] Hom. 90, alias 91, n. 4 (PG 58, 791 sq.).

custodire, sed potius odire, quia nec ipsam nec aliquid ad eam pertinens vel etiam eius signum possunt in eadem domo secum sustinere, quia nec famem vel indigentiam in refectorio, nec frigus vel penuriam in dormitorio, nec librorum carentiam in studio, nec habitaculorum angustiam in mundo, et sic de aliis; sed haec omnia fugant et exterminant per contraria, ita quod nec paupertas nec eius signa possunt habere locum sub eisdem tectis cum eis: quod si quis faceret suae sponsae, videretur eam repudiare. Hi sunt, de quibus ait Bernardus, in quodam *Sermone* [1], quod « volunt esse pauperes * tali pacto quod nihil eis deficiat [a] », ut* *Bf.26a* de eis verificetur illud Eccli. 13, 30: *Nequissima paupertas in ore impii.* Origenes quoque, *Super Genesim,* homilia 16 [2], tractans verbum illud Luc. 14, 33: *Nisi quis renuntiaverit omnibus quae possidet, non potest meus esse discipulus,* ait sic: « Contremisco haec dicens: negat Christus suum esse discipulum, quem viderit aliquid possidere et non renuntiare [b] *omnibus quae possidet,* et nos e contrario non solum non [c] renuntiamus his quae possidemus,

[a] B *deficiant.* [b] AB *renuntiat.* [c] A om.

[1] *De adventu Domini,* sermo IV, n. 5 (PL 183, 49). [2] Num. (PG 12, 251).

sed acquirere volumus ea, quae nunquam habuimus antequam veniremus ad Christum ». Haec Origenes, II. Et ideo Chrysostomus, ubi supra [1]: « Neque eos qui accusant paupertatem afferas in medium, sed eos qui per eam
* *Af. 99a* fulserunt, qualis fuit Elias, * Eliseus, Ioannes et Apostoli ». Haec Chrysostomus.

Nihil ergo huiusmodi pauperes quaerant nisi hanc paupertatem et Deum in hac, prout ait Augustinus, *Super Psalmum 21* [2]: « Deus est divitiae pauperum; domus est [a] inanis, cor plenum divitiis; divites quaerunt unde arcam impleant, pauperes unde cor ». Haec Augustinus. Debent enim tales dicere illud Tobiae, 10, 5: *Omnia simul in te uno habentes, non debuimus te dimittere a nobis,* et illud [b] eiusdem, 5, 25: *Sufficiebat nobis paupertas nostra, ut divitiae computarentur;* attendentes verbum illud [c] Domini ad discipulos dictum, Luc. 22, 35: *Quando misi vos sine sacculo et pera et calceamentis, numquid aliquid defuit vobis?* quodque discipuli respondentes *dixerunt: nihil.*

Mari [d].

Carnalis autem *concupiscentia* proprie 'mare' dicitur propter sui fluxibilitatem. In hoc magno

[a] B om. [b] B om. [c] B *illud verbum.* [d] A om., B *mare.*

[1] Loc. cit. (PG. 58, 791). [2] Num. 27 (PL 36, 178).

mari latent amaritudo intolerabilis, foetor execrabilis et praeter hoc infinita pericula; iuxta quod et mare amarissimum est, foetidissimum est et periculosissimum est.

De huius maris * amaritudine dicit Salomon, Prov. 5. 4, de mala muliere: *Novissima illius amara quasi absinthium et lingua eius acuta quasi gladius biceps.* Ubi Glossa [1]: « Potio absinthii intus amarescit in visceribus, gladio foris membra feriuntur, et est *gladius biceps,* quia animam simul [a] et corpus in gehennam perdit ». Haec Glossa. Et Ioannes, Apoc. 8, 11, dicit stellam illam quae dicitur 'Absinthium' cecidisse super aquas, propter quod et factae sunt aquae amarae sicut absinthium *et multi homines mortui sunt de aquis, quia amarae factae sunt.* * Idem quoque Salomon, cum huius maris profundum se lustrasse confiteretur, ait, Eccle. 7, 27: *Inveni amariorem morte mulierem, quae laqueus venatorum* [b] *est, et sagena cor eius, vincula sunt manus illius; qui placet Deo, effugiet illam; qui autem peccator est, capietur ab illa.* Quantus autem foetor sit in carnis petulantia mulierumque consortio, explicare non possum: foetor enim est non solum in facto, verum etiam et [c] in dicto; iuxta

*Bf.26b

*Af.99b

[a] B om. [b] B om. [c] A om.

[1] *Ordin.*, in h. l., ap. Lyran. (ed. cit. p. 314r).

quod Apostolus ait, Ephes. 5, 12: *Quae in occulto fiunt ab his, turpe est et dicere.*

Quanta etiam [a] sint in hoc mari pericula, multitudo in eo continue naufragantium manifestat, pericula videlicet [b] non solum spiritualia — quia ut Salomon ait, Prov. 6, 26: *Mulier viri pretiosam animam rapit,* et Prov. 7, 22-23 de lascivo iuvene mulierem sequente [c] dicitur: *Nescit quod ad vincula stultus trahatur et quod de periculo animae illius agitur;* et in [d] infra, 9, 13-18, dicitur: *Mulier stulta et clamosa, plena illecebris, vocat transeuntes et dicit: Qui [e] est parvulus declinet ad [f] me, aquae furtivae dulciores sunt et panis absconditus suavior, et ignorat quod gigantes ibi sunt et in profundis inferni convivae eius;* qui applicabitur illi, descendet ad inferos — sed etiam corporalia et temporalia. Quae qui
* *Bf. 26c* bene adverteret, non solum ab extraneis * abstineret, sed plane confiteretur quia, *si ita est causa homini cum uxore, non expedit nubere,* ut dicitur
* *Af. 99c* Matt. 19, 10. Iuxta quod et Paulus ait [g], * I Cor. 7, 1: *Bonum est homini mulierem non tangere;* quia ut dicitur Iob 31, 12: *Ignis est usque ad perditionem devorans et omnia eradicans fundamenta.* Propter quod et Ioannes, Apoc. 16, 3, dicit quod *omnis anima vivens mortua est in*

[a] B *autem.* [b] B *scilicet.* [c] A *sequentem.* [d] A om. [e] AB *quis.* [f] B *a.* [g] B om.

mari. Quomodo autem hoc intelligi debeat, docet Apostolus, I Tim. 5, 6, dicens quod *vidua in deliciis vivens mortua est:* deliciae enim vere sunt mare, in quo omnis anima vivens moritur.

Sed proh dolor! quia hodie miseri homines huius maris [a] amaritudinem, dulcedinem [b] credunt, foetorem pro suavitate suscipiunt, periculum nullum advertunt. Quia *qui navigant mare, narrant pericula eius,* ut dicitur Eccli. 43, 26. Illi autem mare navigant, qui super mare transeunt sicco pede, qui scilicet gustaverunt *quam suavis et dulcis est Dominus* [1]: quia « gustato spiritu, ut Gregorius ait [2], desipit [c] omnis caro ». Hi sunt qui huius maris amaritudinem abhorrent, foetorem abominantur, pericula pertimescunt. Namque pisces qui continue in mari iacent, in aquis volutantur, aquae amaritudinem non sentiunt, quin immo eis est valde dulcis; sed animalia, quae extra mare vivunt, eius aquam propter amaritudinem degustare non possunt et, si casu aliquo gustare cogantur, mox reiciunt, statim os lavare festinant. Hoc si mihi non credis, tumet poteris cum volueris experiri.

Unde Levit. 11, 9-12 * dicitur: *Haec sunt* * *Bf.26d* *quae gignuntur in aquis et vesci licitum est:*

[a] A *maioris.* [b] A om. [c] A *discipit,* B *descipit.*

[1] Cf. Ps. 24, 8; 33, 9. [2] Hanc exprimit sententiam Bernardus, epist. 111, n. 3 (PL 182, 255).

omne quod habet pennulas et squamas; quidquid
*Af. 99d *autem * non habet pennulas et squamas, eorum quae in aquis moventur et vivunt, abominabile vobis et execrandum erit: cuncta enim haec polluta sunt.* Quod exponens Origenes, *Super Leviticum,* homilia 7, sic ait [1]: « Illa quae in aquis moventur [a] sunt, quia dicuntur, si quidem habent pennas et squamas, munda esse; si vero non habeant [b], immunda nec edi debere. Illud in his ostenditur, ut si quis est in aquis istis et in mari vitae huius atque in fluctibus saeculi positus, tamen debeat satagere ut non in profundis iaceat aquarum, sicut sunt pisces, qui dicuntur non habere pennas neque squamas. Haec namque est eorum natura, ut in [c] imo semper et circa [d] ipsum coenum demorentur, sicut anguillae et huiusmodi. Illi vero qui pennis iuvantur ac squamis muniuntur, ascendunt magis ad superiora et aeri huic viciniores fiunt, velut qui libertatem spiritus quaerunt. Talis est sanctus quisque [e], qui intra [f] rete fidei conclusus *bonus piscis* a Salvatore nominatur [2]. Nisi enim pennas habuisset, non surrexisset [g] de coeno incredulitatis [h] nec ad rete fidei per-

[a] B om. [b] B *habent.* [c] A om. [d] B *contra.* [e] AB *quique.* [f] A *in terra.* [g] A *nisi resurrexisset* pro *n. s.* [h] A *incredulitas.*

[1] Num. 7 (PG 12, 491). [2] Matt. 13, 48.

venisset. Quid autem est quod et[a] squamas habere dicitur? tamquam qui paratus sit vetera indumenta deponere. Hi enim qui squamas non habent, ex integro carnei sunt et toti carnales, qui deponere nihil possunt ». Huc usque Origenes. Similiter * porci qui in luto iacent in faecibus volutantur, foetorem non sentiunt. Unde super illud Psalmi[1]: *Putruerunt et corruptae sunt cica-*trices meae,* ait Hieronymus[2]: « Porcorum mos est coenum aut stercora pro bonis odoribus uti, nec intelligunt in his se sordidissime volutari ». Haec Hieronymus. Propter quod et daemones iussu Domini ab homĭnibus *exeuntes* intraverunt *in porcos: Et abiit grex porcorum per praeceps in mare et mortui sunt in aquis,* ut dicitur Matt. 8, 32.

*Bf. 27a

*Af. 100a

Ita homines, qui istis carnalitatibus occupantur, haec non percipiunt, quos non solum digne brutis animalibus[b] comparo, sed viliores esse pronuntio. Bruta enim non nisi certis temporibus ad haec vacant et feminae eorum, cum conceperint, non se ultra maribus indulgent. Quod utinam homines hoc communiter[c] facerent, attendentes quod Apostolus ait, I Cor. 10, 31: *Sive comeditis sive bibitis sive aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite.* Curialiter

[a] B om. [b] B om. [c] B *communiter hoc.*

[1] Ps. 37, 6. [2] *Breviar. in Psalm.*, Ps. 37 (PL 26, 958).

locutus est Paulus, non ausus est exprimere, sed ait: *sive aliud quid facitis*, intendens quod etiam coniugati ad hoc operi carnis vacare debent ut filios procreent ad Dei laudem, propter quod est principaliter matrimonium institutum. At homines qui munditiam diligunt, etiam in digito pedis modicum luti sustinere non possunt quin statim illud detergant, mox lavare festinent; tales sunt qui castitatis munditiam diligunt, qui etsi ex conversatione, quam propter fructum animarum cum viris communiter et mulieribus eos habere oportet, aliquando dulcedine carnis aliquo modo alliciantur, si etiam
*Bf.27b eorum pe-*des, idest affectiones quas per ter-
*Af.100b ram * trahere oportet, luto aliquo vel pulvere sordidentur, si etiam ventis tentationum et[a] fluctibus tumescentibus saepius perturbentur, statim periculum advertentes ad ratem illam confugiunt, in qua humanum genus salvatum est.

Haec est crux dominica, de qua Sap. 14, 5: *Exiguo ligno credunt homines animas suas et transeuntes mare per ratem liberati sunt,* quia hoc est lignum illud[b] benedictum per quod fit iustitia. Crux enim Christi est lignum exiguum, idest humile et contemptibile, de quo ligno Sap. 10, 4: *Cum aqua deleret terram, iterum sanavit Sapientia*[c] *per contemptibile lignum iustum*

---

[a] AB om. [b] B om. [c] B *Sapientia iterum sanavit.*

gubernans. Unde cum populus Israel, transito mari iamque in solitudine factis tribus dietis, veniret in Maratha, non poterat bibere aquas eo quod essent amarae; ubi *ostendit* Deus *lignum Moysi, quod cum misisset in aquas, in dulcedinem versae sunt, ubi constituit eis Deus praecepta atque iudicia,* ut dicitur Exod. 15, 25. Hoc autem sine dubio non est[a] aliud nisi illud « lignum dulce, quod dulces clavos dulceque pondus sustinuit »[1]. *Nonne a ligno indulcata est aqua amara?* ut dicitur Eccli. 38, 5. Ibi ergo omnem amaritudinem abiciunt, omnem foetorem respuunt, omne periculum divertunt omnemque turpitudinem abstergunt, lavare festinant, veridica scilicet confessione et lacrimosa oratione, quia *qui lotus est* et mundus, iuxta sententiam Domini, Ioan. 13, 10, *non indiget nisi ut pedes lavet* et *est mundus totus*[b].

Sed dices fortasse mihi, quomodo potest quis per mare continue navi-*gare et aliquando ven- * *A f. 100c*
tis tentationum et fluctibus tribulationum * non * *B f. 27c*
naufragari? quomodo potest quis per mare ambulare et vestimenta eius non madidari vel deturpari? quomodo etiam iuxta Salomonem, Prov. 6, 28, potest *super* ardentes *prunas* incedere et *plantas eius* continuo non exuri? Ego autem

[a] B om. [b] B habet hic *Ioan. 13.*

[1] Cf. Hymnus ad Laudes in festo Inventionis S. Crucis.

hic addo quod etiam in hoc mari sunt animalia pusilla et magna, idest diversa inimicorum genera, et super omnes *draco ille magnus quem Deus formavit ad illudendum ei,* ut dicitur in Psalmo [1], a quibus omnibus evadere omnino videtur impossibile. Sed quod homini impossibile est, Deo esse possibile credere debes, quia, ut ait angelus Mariae, Luc. 1, 37, *non erit impossibile apud Deum omne verbum. Si* enim *Deus pro nobis, quis contra nos* [2]? Si Deus nobiscum est, absque dubio mala ista nos apprehendere non possunt. Unde Iob in maximis tribulationibus et tentationibus positus [a] dicit, 17, 3: *Pone me iuxta te et cuiusvis manus pugnet contra me.* Et propterea Dominus ait, Matt. 19, 12: *Sunt eunuchi qui se castraverunt propter regnum caelorum, sed non omnes capiunt verbum, sed quibus datum est: qui potest capere capiat.*

Sane autem intellige, ut non putes propter hoc membra corporis abscindenda, sed quae inhonestiora sunt secundum Apostolum [3] maiori honore circumdanda, et hoc fit caste et munde vivendo. Hoc enim est eunuchizari *propter regnum caelorum.* Sicut est [b] illud quod dicitur Matt. 5, 29: *Si oculus tuus scandalizat te, erue eum et proice abs te;* non ausus sis propter

[a] B om. [b] A *enim.*

[1] Ps. 103, 26. [2] Rom. 8, 31. [3] I Cor. 12, 23.

hoc corporalem eruere oculum, sed erue eum quantum ad visionem illam quae te scandalizavit, ut nullo modo illi visioni sive eius simili * ulterius pateat; similiter si manus * tua* B *f. 27d*
te scandalizat, aliquo scilicet tactu vel actu, ab- * *A f. 100a*
scide eam ita ut eam ad huiusmodi ulterius non extendas; et similiter intellige [a] de aliis corporis membris.

Hoc autem fieri non potest nisi *virtus*, quae est *peccati lex*, det *nobis victoriam per Iesum Christum Dominum nostrum*, ut dicitur I Cor. 15, 56. Unde eunuchi dicuntur ab εὖ quod est *bonum* et νίκη quod est *victoria*, quasi bene victoriosi vel bene vincentes. Propter quod quilibet cum Psalmista [1] dicere debet: *In Deo sperabo, non timebo quid faciat mihi caro*, sciens quia *continens esse non potest nisi Deus det*, ut dicitur Sap. 8, 21, ac et cum Paulo apostolo exclamare: *Infelix ego homo! quis me liberabit de corpore mortis huius? Gratia*, inquit, *Dei per Iesum Christum*, Rom. 7, 24. Si forte cum eodem Apostolo [2] ab *angelo Satanae carnis stimulo colaphizatur*, aliquando mereatur audire: *Sufficit tibi gratia mea, nam virtus in infirmitate perficitur* [b], ut dicitur II Cor. 12, 9.

[a] B *intelligas*. [b] B om.

[1] Ps. 55, 5. [2] II Cor. 12, 7.

Et ideo nullus de sua fortitudine, de sua sapientia, de sua devotione, de sua sanctitate confidat, nisi armis Christi se sentiat communitum. Iuxta quod et quidam[1] non indocte ait:

Es Adam caelestior, fortior Samsone?
Es David devotior, maior Salomone?
Quisque fit deterior in tentatione.
Tu quomodo iunior sistis in agone?

Propterea optimum consilium est ut quilibet hoc bellum fugiat quantum potest, quia vix potest fieri ut quis in hoc bello existens non ad minus graviter, etsi non letaliter, vulneretur, quia ut dicit Hieronymus, *Ad Eusto-*
**Bf.28a* *chium*[2]: « Quam-*diu hoc fragili corpore detinemur, quamdiu *habemus thesaurum istum in vasis fictilibus* et *concupiscit caro adversum spiritum* et *spiritus adversum carnem,* nulla est
**Af.101a* certa victoria ». * Cui etiam Augustinus concordat, *De singularitate clericorum*[3], ita dicens: « Lubrica spes est, quae inter fomenta peccati salvare se sperat, incerta victoria inter hostilia arma pugnare et impossibilis liberatio flammis circumdari nec ardere ». Haec Augustinus. Hieronymus quoque, *Contra Vigilantium*[4],

[1] Cf. Hieronymus, epist. 52, n. 5 (PL 22, 531 sq.); *Regula monachorum*, c. 3 (PL 30, 327). [2] Epist. 22, n. 4 (PL 22, 396). Cf. II Cor. 4, 7; Gal. 5, 17. [3] Inter opera S. Cypriani (PL 4, 857). [4] Num. 16 (PL 23, 351 sq.).

sic ait: « Cur, inquit, pergis ad eremum? videlicet ut te [a] non videam, non audiam, ut tuo furore non movear, ut tua bella non patiar, ne me capiat oculus meretricis, ne me forma pulcherrima ad illicitos ducat amplexus. Respondebis: Hoc non est pugnare, sed fugere, sta in acie, adversariis armatus obsiste, ut postquam viceris coroneris. Fateor imbecillitatem meam, nolo spe pugnare victoriae ne perdam aliquando [b] victoriam: si fugero, gladium devitavi; si stetero, aut vincendum est mihi aut cadendum; quid necesse est certa dimittere et incerta sectari? Nulla securitas est, vicino serpente, dormire. Potest fieri ut me non mordeat, et tamen potest fieri ut aliquando me mordeat. Et ideo urbium frequentias declinamus, ne facere compellamur, quae nos non tam natura facere cogit quam voluptas [c] ». Haec Hieronymus.

Fugere autem debes non solum factum, sed dictum, cogitatum, aspectum, auditum et quidquid sit illud quod te ad hoc allicere potest omneque suspectum consortium; et sic studeas nunquam videre, audire vel alloqui mulierem, ubi possit sine periculo conscientiae declinari. Hoc etiam * parum reputa, nisi sit tibi cogitatio* *B f. 28b* lacrimis purgata omnemque affectum non so-

[a] B om. [b] B om. [c] B *voluntas.*

lum foedantem, sed etiam aggravantem libertatem * spiritus vel trahentem in partem reputes *a Domino fornicari* [1], et in huiusmodi fomentum solus sit tibi [a] luctus solatium, ieiunium recreatio, inhaerentiae abominabiles, deliciae horribiles, vigiliae anticipatae et prolungatae amabiles toto corde. Otium etiam pro posse devita: *Multam* enim *malitiam docuit otiositas,* ut dicitur Eccli. 33, 29. Hieronymus quoque, *Ad Rusticum monachum* [2], ait: « Semper aliquid operis facito, ut te diabolus inveniat occupatum: in desideriis [b] enim est omnis otiosus ». Haec Hieronymus. Ista enim sunt quae fecerunt mala Sodomae, scilicet *superbia, saturitas panis et abundantia et otium,* ut dicitur Ezech. 16, 49.

*Af. 101b

Propter quod optimum est consilium Sapientis, Eccli. 33. 25: *Cibaria et virga et onus asino, panis et disciplina et opus servo,* idest corpori tuo debes panem sustentationis, disciplinam afflictionis et opus continuae exercitationis, ut sic victu, vestitu et actu carnem affligere studeas et spiritui servire omnino cogas, exemplo Apostoli dicentis, I Cor. 9, 27: *Castigo corpus meum et in servitutem redigo, ne forte, cum aliis praedicavero, ipse reprobus efficiar.* De quo Hie-

[a] A *ibi.* [b] AB *descidiis.*

[1] Osee, 1, 2. [2] Epist. 125, n. 11 (PL 22, 1078). Cf. Prov. 21, 25.

ronymus, *Ad Eustochium* [1], sic ait: « Si Apostolus, *vas electionis* et praeparatus *in Evangelium Christi,* ob carnis aculeos et incentiva vitiorum reprimit *corpus* suum *et servituti* subicit ne *aliis praedicans ipse reprobus* inveniatur, si post nuditatem, ieiunia, famem, flagella, supplicia in semetipsum reversus exclamat: *Infelix ego homo! quis me liberabit de corpore mortis huius?* tu te putas * securam esse debere? * Cave igi- *Bf. 28c* tur ne de te aliquando dicat Deus: *Virgo Israel* *Af. 101c* *cecidit et non est qui suscitet eam* » [2]. Haec Hieronymus.

Sic enim viriliter pugnans ut victor mereberis [a] coronari, quia *non coronabitur nisi qui legitime certaverit,* ait Paulus, II Tim. 2, 5, quia *secundum multitudinem dolorum consolationes laetificant animam,* ut dicitur in Psalmo [3]. Super quo Hieronymus ait [4]: « Multitudo tribulationum multitudo est praemiorum: quotquot enim patimur vulnera, tot meremur coronas ». Haec Hieronymus. Et alibi [5] ait: « Quis sanctorum sine certamine coronatus est? Solus Salomon in deliciis fuit, et forsitan ideo periit ».

[a] A *membris.*

[1] Epist. 22, n. 5 (PL 22, 397). [2] Act. 9, 15; Rom. 1, 1; I Cor. 9, 27; Rom. 7, 24; Amos, 5, 2. [3] Ps. 93, 19. [4] *Breviar. in Psalm.,* Ps. 93 (PL 26, 1109). Cf. *Anecd. Maredsol.* III, p. 131. [5] Epist. 22, n. 39 (PL 22, 423).

Gregorius quoque, XXX *Moralium* [1], ait: « Nullus palmam spiritualis certaminis apprehendit, qui non in semetipso prius per afflictam concupiscentiam carnis incentiva devicerit ». Haec Gregorius. Et sancta illa mulier virilis pugnatrix et exemplum castitatis, Iudith, 8, 23, testatur quod *omnes qui placuerunt Deo, per multas tribulationes transierunt fideles:* corona enim nonnisi victori [a] datur.

Sed etsi quis in hoc bello modo aliquo fuerit vulneratus, non timeat, non desperet, sciat *resinam esse in Galaad* ad omne vulnus curandum et *medicum ibi esse* liberalissimum et omnis curationis perfectissime gnarum, ut dicitur Ierem. 8, 22. Galaad autem interpretatur [2] *'acervus testimonii'* et significat Sacram Scripturam, quae omni infirmitati spirituali occurrit, iuxta illud Sap. 16, 12: *Neque herba neque malagma sanavit eos, sed sermo tuus, Domine, qui sanat universa;* et Eccli. 38, 6-7, dicitur: *Dedit ho-*
* *Af.101d* *minibus scientiam * Altissimus, honorari in mirabilibus suis: in his curans mitigavit dolorem.* Galaad etiam est caput Libani, Ierem. 22, 6: *Galaad, tu mihi caput Libani* [b]. Libanus autem

[a] B *victoribus.* [b] B om. *Ierem... Libani.*

[1] Cap. 18, n. 58 (PL 76, 555). [2] Hieronymus, *De nomin. hebraicis* (PL 23, 788) et *Quaest. in Genes.* XXXI, 46 (PL 23, 987).

'*candidatio*' interpretatur et significat religionem, ut scilicet nitatur ad virtutum conscendere apices, similis factus capris illis *quae de monte Galaad ascenderunt*, Cant. 4, 1.

Medicus autem ibi est, ille inquam qui *sanat contritos corde et alligat contritiones eorum* [1], *unguentarius* videlicet ille *qui facit pigmenta suavitatis et unctiones conficit sanitatis*, Eccli. 38, 7, samaritanus noster Christus, qui omnia nostra *vulnera alligans* sanabit perfecte, *infundens oleum* misericordiae suae *et vinum* contritionis sive laetitiae internae [2], quia *oleo caput impinguat* cum *misericordia* eius *subsequitur omnibus diebus vitae* nostrae, et *calix* eius *inebriat* quando *nos potat vino compunctionis*, et *praeclarus est* cum *vinum* illud *bonum*, quod ipse *servavit usque adhuc, cor hominis* perfecte *laetificat* [3]. Propterea *spera in Deo et in potentia virtutis eius*, quia *non derelinquit sperantes in se, praesumentes* autem *et de sua virtute gloriantes humiliat* [4]. Unde Isai. 40, 29: *Dat lapso virtutem et his qui non sunt fortitudinem et robur multiplicat*, idest qui nihil se reputant. Propterea humiliat eos Deus cadere permittendo, ut non credant se sua virtute stare potuisse, sed

*Bf.28d

[1] Ps. 146, 3. [2] Luc. 10, 34. [3] Ps. 22, 5, 6; 59, 5; Ioan. 2, 10; Ps. 103, 15. [4] Ps. 41, 5; Ephes. 6, 10; Iudith, 6, 15; Nahum, 1, 7.

qui existimat se stare videat ne cadat, I Cor. 10, 12.

Christus autem, ut ibidem dicitur, *non patitur tentari supra id quod potestis, sed facit*
* *Af.102a* *cum tentatione pro-*ventum, ut possitis sustinere.* Aliquando tamen, quia vult videre milites suos pugnare, ut cum victores extiterint coronentur, sustinet et permittit eos tentari, quia *si vita in probatione fuerit coronabitur,* ut dicitur Tob. 3, 21, et « quanto maius fuit periculum in praelio, tanto maius gaudium in triumpho », ait Augustinus, *Confessionum,* VII [1]. Et tunc ipse videtur dormire et quasi non sentire de nobis, sicut apparet in Evangelio, Matt. 8, 24-26, quando cum discipulis erat in navi et dormiebat, navis vero ventis flantibus et procellis tumescentibus periclitabatur conteri; tunc discipuli clamantes excitaverunt *eum dicentes: Domine, salva nos perimus;* surrexit, *imperavit ventis et mari, et facta est tranquillitas magna.*

* *Bf.29a* Et tu ergo istorum se-*quens vestigia *labora clamans* et clama[a] laborans, nec aliquando cesses, etiamsi *raucae* fiant *fauces* tuae: *Salvum me fac, Deus, quoniam intraverunt aquae usque ad animam meam, quia veni in altitudinem maris*

---

[a] B *clamans.*

---

[1] Cap. 3, n. 7 (PL 32, 752).

et tempestas demersit me [1]. Quia cum Iesus videret discipulos laborantes et exclamantes, non se potuit continere quin ad eos *veniret ambulans supra mare,* ut dicitur Matt. 14, 25. Quando etiam Petrus venit ad eum ambulans supra mare, qui cum *vidisset ventum validum, timuit et, cum coepisset mergi, clamavit: Domine, salvum me fac,* et Dominus ad eum: *Modicae fidei, quare dubitasti?* quasi nisi dubitasset et timuisset, utpote perfectam fidem et caritatem non habens, non potuisset mergi. * *Qui* enim *non est tentatus, qualia scit* [a]? dicitur Eccli. 34, 11. Sequitur: *Aliquotiens usque ad mortem periclitatus sum et liberatus sum gratia Dei.* * A f. 102b

Unde *qui timidus est et formidolosus* [2], ad pugnam accedere non debet, ne in fugam conversus ipse pereat et fratres suos perturbet, sicut prisca lege fuerat ordinatum, ut dicitur Deut. 20, 8; stet in domo sua, accipiat uxorem, generet filios, *tribulationes habeat carnis* [3]. Quia secundum Apostolum, I Cor. 7, 9: *Qui non continent, nubant* [b]: *melius est enim nubere quam uri;* et si *salvus erit* [c], nonnisi *per ignem* [4]; quia *si refugientes coinquinationes mundi his rursum implicati superantur, facta sunt eis posteriora de-*

[a] AB *sit.* [b] A *bibant.* [c] B *eris.*

[1] Ps. 68, 2-4; Isai. 58, 1. [2] Iudic. 7, 3. [3] I Cor. 7, 28. [4] I Cor. 3, 15.

teriora prioribus: melius enim erat illis non cognoscere viam iustitiae quam post agnitionem retrorsum converti ab eo, quod illis traditum est, sancto mandato. Contingit enim illis illud veri proverbii: canis reversus ad suum vomitum et sus lota in volutabro luti, sicut dicitur II Petr. 2, 20-22. Sed vae, vae, vae cui [a] *vermis non morietur et ignis non extinguetur,* Isai. ultimo, 24.

*Bf. 29b Quicumque ergo in hac pugna persistunt, * quicumque navigant istud mare, clament ad Deum suum, et *videbunt opera Domini et mirabilia eius* etiam *in profundo,* si tamen *descendant mare in navibus facientes operationem in aquis multis* [1]; quin immo iuxta typum Ionae prophetae tollant Christum, qui plus quam Ionas factus est, et mittant eum in mare, pro firmo credentes quia cessabit mare ab eis. Tunc autem tollimus eum et in mare mittimus, quando re-

*Af. 102c cogitamus eum pro nobis ten-*tatum [b], illusum, consputum, blasphematum, flagellatum, vulneratum, crucifixum et mortuum, quia *in eo quod ipse* [c] *tentatus et passus est, potens est et eos qui tentantur auxiliari,* ut dicitur Hebr. 2, 18; et I Petr. 4, 1: *Christo passo in carne, et vos eadem cogitatione armamini;* et Bernardus,

[a] A *tui.* [b] A *temptavit.* [c] B add *est.*

[1] Ps. 106, 23, 24.

in quadam *Epistola* [1]: « Si forte luxuriae [a] te pompa percusserit, recordare Christum amore tuo positum in cruce super lectum doloris et *universum stratum eius versatum in infirmitate eius* [2], hoc dicens in corde tuo: Deus meus pendet in patibulo, et ego voluptati operam dabo! sicque invocato nomine Salvatoris, ingeminando saepe nomen salutis, idest Iesus, cessabit tentatio ». Haec Bernardus.

Hoc est enim [b] illud *fidei* nostrae firmissimum *scutum, in quo omnia nequissimi ignea tela* veraciter *exstinguuntur,* ut Paulus ait, Ephes. 6, 16; quod etiam scutum olim Ieremias propheta cum lacrimis implorabat dicens, Thren. 3, 65: *Thau: Dabis eis scutum cordis laborem tuum,* idest labor tuus in Thau erit scutum cordis eorum. Thau vero secundum significationem et figuram crucem Domini repraesentat. Absque dubio enim credo quod iuxta Prophetam, si hoc *scuto* veraciter fueris *circumdatus, non timebis a timore nocturno, a sagitta volante in die, a negotio perambulante in tenebris, ab incursu et daemonio meridiano,* quin potius *cadent a latere tuo mille et decem millia a dextris tuis, ad te autem non*

[a] B *luxuria.* [b] B om.

[1] Pseudo-Bernardus, *Formula honestae vitae*, n. 9 (PL 184, 1170). [2] Ps. 40, 4.

*Bf. 29c *appropinquabit, super aspidem et basiliscum* *
*Af. 102d *ambulabis et conculcabis leonem et dra-*conem* [1].

Unde et aeneus ille serpens in palo suspensus a morsibus ignitorum et venenatorum serpentium aspicientes sanabat [a], ut dicitur Num. 21, 8-9. « Sic ergo, ut dicit Augustinus [2], quemcumque momorderit astutia Satanae, intueatur Christum in ligno pendentem ». Serpens enim ille, aeneus carnem Christi in cruce suspendendam significabat. Et ideo beatus Iob, cum se vellet ostendere non esse illum qui suis passionibus alios salvare deberet, ait, Iob 6, 12: *Numquid caro mea aenea est?* Quasi dicat: non sum ego ille qui sua patientia alios redimere debeat. Et ideo tunc solum illi sanabantur, qui hoc in Christo credebant futurum quod in serpente videbant. Unde dicitur ibi quod *aspicientes sanabantur,* idest credentes et intelligentes, quia ipsi erant *a longe aspicientes et salutantes,* ut dicitur Hebr. 11, 13. Nec erat aliqua virtus in illo serpente qua hoc fieret, nisi sicut in signo. Unde dictum est Moysi: *Pone eum pro signo* [3]. Propter quod Sap. 16, 6-7, dicitur de hoc: *Signum habentes salutis qui conversi sunt,*

[a] B *sanabat aspicientes.*

[1] Ps. 90, 7-13. [2] Cf. *in Psalm.* 73, n. 5; in Psalm. 118, sermo 26, n. 4; sermo 294, n. 13 (PL 36, 933; 37, 1578; 38, 1342). [3] Num. 21, 8.

non per haec quae videbant sanabantur, sed per te omnium salvatorem. Et ideo ventus te non allidet, fluctus te absorbere non poterunt, ignis te non exuret, diabolus sive draco te non superabit, sed sicco vestigio mare calcans ac per ignem illaesus ambulans, daemonibus superatis, ad portum salutis feliciter venies.

Hoc, si mihi non credis, per Sacram Scripturam latissime possum probare. Praebe igitur aurem, et diligenter ausculta, et *noli esse incredulus, sed fidelis* [1]; quia *qui incredulus est, non erit recta anima eius in semetipso,* * ut dicitur Habac. 2, 4, *qui* autem *crediderit, non festinet,* ut dicitur Isai. 28, 16. Summa enim armatura, ** quae in hoc bello possit haberi, est fides vera et pura, cuius sine dubio veritas, ut Dario spectante Zorobabel concionatur, III Esdrae, 4, 38, omnia vincit et praevalet. Haec est enim *turris* illa davidica *cum propugnaculis* aedificata, *ex* qua *mille clypei pendent, omnis fortium armatura,* ut dicitur Cant. 4, 4. Propterea I Petr. 5, 8 dicitur: *Fratres, sobrii estote et vigilate, quia adversarius vester diabolus tamquam leo rugiens circuit quaerens quem devoret, cui resistite fortes in fide.* Hac muniti sunt omnes victoriosi bellatores ab ipso mundi principio, sicut Paulus ostendit, Hebr. 11, 33-34, de sanctis qui

*Af. 103a

**Bf. 29d

[1] Ioan. 20, 27.

per fidem vicerunt regna, operati sunt iustitiam, adepti sunt repromissiones, obturaverunt ora leonum, extinxerunt impetum ignis, effugaverunt aciem gladii, convaluerunt de infirmitate, fortes facti sunt in bello etc.

Audi ergo primo quid Dominus ait per Isai. 43, 1-3: *Servus,* inquit [a], *meus es tu; cum transieris super aquas, tecum ero et flumina non operient te; cum ambulaveris in igne, non combureris et flamma non ardebit te, quia ego Dominus Deus tuus, salvator tuus.* Propter quod et ipse Isaias, 51, 9-11, dicit ad Dominum: *Numquid non tu percussisti superbum,* idest diabolum, *vulnerasti draconem? Numquid non tu siccasti mare, aquam abyssi vehementis? qui posuisti profundum maris viam ut transirent liberati? Et nunc*
* *Af. 103b* *qui redempti sunt* * *a Domino, revertentur et venient in Sion laudantes, laetitia sempiterna super capita eorum, gaudium et laetitiam tenebunt, et fugiet dolor et gemitus.* Haec ibi.

* *Bf. 30a* Memorare etiam antiquum * illud praecelsumque [b] miraculum, quando Dominus *divisit mare rubrum in divisiones* [1], ubi omnes *filii Israel ambulaverunt per siccum in medio eius,* sicut dicitur Exod. 14, 16, ubi Beniamin intrare timuit

[a] B om. [b] A om. *que.*

[1] Ps. 135, 13.

utpote quia adolescentior erat — unde in Psalmo [1] secundum aliam litteram: *Ibi Beniamin adolescentulus factus est in stuporem, sed principes Iuda duces eorum* etc. — *filii autem Israel* salvati sunt solum quia in Domino speraverunt, et fuerunt *eis aquae pro muro* [a] *a dextris et a sinistris* [2], ita ut non solum eos non laederent, verum etiam ab insequentibus tuerentur; Pharao autem et Aegyptii, qui in curribus et equitibus speraverunt, *submersi sunt in mari rubro, abyssi operuerunt eos, descenderunt in profundum quasi lapis* [3]. Hoc autem totum factum est ministerio [b] illius virgae Moysi, quae omnibus plagis flagellavit Aegyptum, quae etiam Aegyptiorum primogenita exstinxit.

Haec est illa virga qua, percussa petra, quae iuxta Apostolum, I Cor. 10, 4, *Christus erat*, populo sitienti spiritalem aquam tam abundanter exhibuit ut iam haurire possimus *in gaudio de fontibus Salvatoris* [4]; de qua aqua *qui biberit non sitiet* unquam, *sed fiet in eo fons aquae salientis in vitam aeternam*, ut dicitur Ioan. 4, 13-14. Haec est virga, quae in serpentem conversa omnes serpentes physicorum Aegypti absorbuit, Exod. 7, 12, quia est haec [c] illa

[a] B *muris*. [b] AB *misterio*. [c] B *haec est*.

[1] Ps. 67, 28. [2] Exod. 14, 29. [3] Exod. 15, 4, 5. [4] Isai. 12, 3.

summa sapientia crucis Christi, quae omnes
Af.103c alias quorumcumque scientias devorat et ab-
sorbet: serpens enim [a] de virga factus, cuius
non caput, sed caudam Moyses tenuit, qui uti-
*Bf.30b que *non faciem,* sed *posteriora vidit* [1], * sapien-
tiam crucis significat, quia *serpens erat callidior,* sive *sapientior* secundum aliam litteram, *cunctis animalibus terrae,* ut dicitur Gen. 3, 1, et Dominus dicit, Matt. 10, 16: *Estote prudentes sicut serpentes.* Haec est sapientia crucis, quae *sapientiam sapientium perdidit et prudentiam prudentium reprobavit,* ut Paulus dicit, I Cor. 1, 19, quia haec est *clavis David* quae data est *super humerum* Christi, quae *aperit et nemo claudit, claudit et nemo aperit,* ut dicitur Isai. 22, 22.

Recogita etiam illud magnum altumque prodigium, quod dicitur Dan. 3, 24, quando tres pueri in fornace ardentissima *deambulabant laudantes et benedicentes* [b] *Dominum,* ministros vero regis qui eam incendebant effusa exterius flamma combussit, illos autem *non tetigit omnino ignis neque contristavit nec quidquam molestiae intulit;* inter quos etiam ipse Christus apparuit. Propter quod et rex admirans ait: *Species*

[a] B *ergo.* [b] B *benedicebant.*

[1] Exod. 33, 23.

quarti similis Filio Dei [1]. Unde Hieronymus, *Ad Demetriadem* [2]: « Quomodo in fornace quartus habens speciem Filii hominis immensos mitigavit ardores et intra camini aestuantis incendium docuit flammas calorem amittere et aliud oculis communicari, aliud praebere tactui, sic [a] et in animo virginali rore caelesti et ieiuniorum frigore calor puellaris exstinguitur et humano corpori angelorum conversatio impertitur ». Haec Hieronymus.

Et attende quod tam isti, qui de igne, quam illi qui de mari liberati sunt, Deo gratias ** Af. 103d* agentes speciale laudis canticum cecinerunt. Tu ergo similiter non omittas Deo cantare, ita tamen ut exemplo * Mariae tympanistriae nostrae ** Bf. 30c* *tympanum sumas in manu* [3] tua, idest carnis mortificationi iugiter operatione tua invigiles, ut per istud mare sicco vestigio ac per ignis ardorem illaesus pertranseas, ut cum Ieremia propheta ad hoc alios invitando eisque praecinendo dicas: *Cantate Domino, laudate Dominum, qui liberavit animam pauperis de manu malorum,* lerem. 20, 13, et cum psalmographo citharoedo totum te in laudem Deo exsolvas et dicas [4]: *Iubilate Deo, omnis terra, psalmum dicite nomini*

[a] B *sicut.*

[1] Dan. 3, 50, 92. [2] Epist. 130, n. 10 (PL 22, 1116).
[3] Exod. 15, 20. [4] Ps. 65, 1 sq.

eius [a], *date gloriam laudi eius* [b], totumque prosequendo subiungas: *Qui convertit mare in aridam, in flumine pertransibunt pede, ibi laetabimur in ipso; qui posuit animam meam ad vitam et non dedit in commotionem pedes meos; quoniam probasti nos, Deus, igne nos examinasti sicut examinatur argentum; transivimus per ignem et aquam, et eduxisti nos in refrigerium; introibo in domum tuam in holocaustis, reddam tibi vota mea, quae distinxerunt labia mea.* Haec ibi. Unde [c] et Iesus filius Sirach, cum se confiteretur de multis periculis liberatum, Dei in hoc beneficium [d] recognoscens, omnia illa pericula specificans, sic ait: *Confitebor tibi, Domine rex, et collaudabo te Deum salvatorem meum, quoniam adiutor et protector factus es mihi et liberasti corpus meum a perditione;* et multa, quae longum esset hic
* *Af. 104a* prosequi, ma-*la enumerans in fine concludit: *Laudabit usque ad mortem anima mea Dominum, quoniam eruis sustinentes te et liberas eos de manu angustiae, Domine Deus noster,* Eccli. 51, 1-11.

Hoc enim modo citharoedi [e] illi *citharizantes in citharis suis, qui* etiam *cum mulieribus non sunt coinquinati, cantant canticum novum et sequuntur Agnum quocumque ierit,* ut dicitur

---

[a] B om. [b] B om. [c] B om. [d] B *beneficium in hoc.* [e] A *citharoedo.*

Apoc. 14, 2-4. Unde Augustinus, in libro *De virginitate* [1]: «Pergite, sancti Dei, pueri et puellae, mares et feminae, caelibes et innuptae, pergite perseveranter in finem [a]; laudate Dominum dulcius quem cogitatis uberius, * sperate felicius cui servitis instantius; lumbis accinctis et lucernis ardentibus exspectate Dominum, qui venit a nuptiis [2]; vos afferetis ad nuptias Agni *canticum novum* quod cantabitis *in citharis* vestris, non utique tale quale cantat universa terra, cum dicitur [3]: *Cantate Domino, universa terra,* sed tale quale nemo potest dicere [b] nisi vos, quia *sequimini Agnum quocumque ierit*, sicut prae ceteris dilectus ab Agno scripsit de vobis [4]. Quo enim putamus ire hunc Agnum, quo eum sequi nemo vel audeat [c] vel valeat nisi vos? in quos saltus [d] vel prata? illa credo sunt grandia gaudia, non gaudia huius saeculi vana, insaniae mendaces, nec gaudia qualia in ipso regno Dei ceteris non virginibus, sed a ceterorum omnium sorte distincta gaudia virginum Christi, de Christo, in Christo, cum Christo, post Christum, per Christum, propter Christum, quia Agni caro utique virgo: hoc enim in se

* *Bf. 30d*

[a] B *fine.* [b] B om. [c] A *laudet,* B *audet.* [d] A *salutis.*

[1] Cap. 27, n. 27 (PL 40, 410 sq.). [2] Luc. 12, 35, 36. [3] Ps. 95, 1. [4] Apoc. 14, 2-4.

retinuit, quod matri non abstulit conceptus et natus ». Huc usque Augustinus.

* *Af.104b* Sed et si omnia quae in Scripturis sanctis * de his reperiuntur perquirere vellem, nullo pacto sufficerem, etiamsi *lingua mea calamus* esset *scribae scribentis velociter* [1].

Arboribus [a].

Superbia autem *vitae* ' arboribus ' comparatur. Sicut enim arbores ex terra nascuntur et in altum super terram eriguntur, sic superbia de divitiis nascitur et in altum elevatur. Unde Augustinus, XIV *De civitate,* cap. 13 [2]: « Superbia est perversae celsitudinis appetitus »; Anselmus, *De similitudinibus,* cap. 7 [3]: « Superbia vocatur, quia supra quam debeat graditur »; Beda quoque, super illud Luc. 1, 51: *Dispersit superbos mente cordis sui,* ait [4]: « Superbi sunt, qui supra mensuram suae conditionis se extollunt, homines contemnunt, Deum non verentur ». Augustinus quoque, in libro [b] *De lapsu mundi,* sic ait [5]: « In divitiis nihil sic cavendum est quam superbiae mor-

[a] A om. [b] B om. *in libro.*

[1] Ps. 44, 2. [2] Num. 1 (PL 41, 420). [3] PL 159, 607. [4] Hom. in festo Visitationis (PL 94, 20). [5] Cf. Sermo 36, n. 2; 39, n. 4; 177, n. 7 (PL 38, 215, 242, 957).

bus: qui enim non habet pecuniam, non habet amplissimas facultates, * non habet unde su-* *Bf.31a*
perbiat». Haec Augustinus. Propter quod ait Paulus, I Tim. 6, 17: *Praecipe divitibus huius saeculi non superbe sapere.* De horum arborum fructu primo angeli comederunt et diaboli facti sunt, deinde hominibus tradiderunt, qui comedentes, de paradiso eiecti, mortui sunt. Unde Eccli. 10, 15: *Initium omnis peccati superbia.*

Per aliam ergo *viam* nos regredi oportet *in regionem* nostram [1], sicut Augustinus nos docet [a], IV *De Trinitate,* cap. 12: « Sicut, inquit [2], magi fecerunt divinitus moniti, quos ad humilitatem Domini adorandam stella perduxit, ita et nos non qua venimus, sed per aliam [b] viam in patriam redire debemus, quam rex humilis docuit et quam rex superbus, humili regi adversarius, obsidere non possit ». * Haec Augu-* *Af.104c*
stinus. Propter hanc enim viam hominibus ostendendam maxime Deus homo factus verbis et exemplis omnem humilitatem docuit et implevit, sicut est aliqualiter in superioribus declaratum. Unde Dominus ait, Matt. 11, 29: *Discite a me, quia mitis sum et humilis corde, et invenietis requiem animabus vestris.* Nulla

[a] B *docet nos.* [b] B *alia.*

[1] Matt. 2, 12. [2] Num. 15 (PL 42, 897).

enim alia est via, per quam incedentes in paradisum valeamus redire. Unde cum sanctus ille pater antiquus Antonius totum vidisset mundum diaboli laqueis irretitum quaesiissetque quis posset de his diabolicis laqueis liberari, vocem audivit dicentem sibi: « Solus humilis huiusmodi laqueos evadere poterit [1] ».

Sed innumeri homines his laqueis comprehenduntur *obscuratum habentes intellectum* [2], quia praesumptio nequissima tamquam nebula et caligo et fumus excaecat habentes attonitos oculos ne viam rectam possint videre. Hoc enim
* *Bf. 31b* modo ille, qui est rex super superbiae * filios, qui et *Deus huius saeculi* dicitur [3], mentes *infidelium* excaecare non desinit. Cum autem Christus, sol verus iustitiae, radios igneos lucis suae exsufflans hanc fugaverit nebulam et cordis elationem fumo similem esse ostenderit,
* *Af. 104d* tunc recta * via et plana cognosci potest. Et inde est quod caecus ille a Domino illuminatus dixit se *videre homines velut arbores ambulantes*, Marc. 8, 24; propter quod Dominus dicit, Ioan. 8, 12: *Ego sum lux mundi; qui sequitur me non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitae.* Humilium autem proprie est sequi eum. Sicut enim superbus praefert se Deo et se ei ante-

---

[1] *Vitae Patrum*, V, libell. 15, n. 3 (PL 73, 953). [2] Ephes. 4, 18. [3] II Cor. 4, 4.

ponit et eum postponit quasi vellet eum se facere sequi — unde Augustinus, *De gratia Novi Testamenti* [1]: « Superbia odit consortium et, quantum in se est, solus supereminere cupit omnis superbus », et XII *De civitate,* cap. 8, ait [2]: « Superbia est vitium animae perverse amantis potestatem suam, potentioris contempta iustitia ». Haec Augustinus. Sicut apparet in Lucifero, qui aequiparare se voluit Deo, et in superbissimo Antichristo maxime apparebit, qui et [a] *in templo Dei sedebit ostentans se tamquam* ipse *sit* [b] *Deus,* ut dicitur II Thess. 2, 4. Unde Antichristus dicitur, quasi non post Christum, sed ante vel contra Christum [3] — ita ab oppositis humiles praeferunt Deum et se ipsos postponunt Deo et ita sequuntur et honorant, iuxta illud Eccli. 3, 21: *Magna potentia Dei solius et ab humilibus honoratur.*

Quod autem *qui* sic eum *sequuntur in tenebris ambulare non* possint, *sed habeant* [c] *lumen vitae* [4], ex hac consideratione potest * patere.* *A f. 105a* Si enim aliquid [d] est principium descensus in aliquo, oppositum eius erit principium ascen-

[a] B om. [b] B om. [c] A *possunt, sed habent* pro *p. s. h.* [d] A *aliud.*

[1] Cap. 16, n. 42 (PL 33, 556). [2] Pl. 41, 556. [3] Ioan. 8, 12. [4] Cf. Augustin., *In epist. Iohannis,* tract. III, n. 4 (PL 35, 1999).

sus in eodem. Quia [a] enim gravitas in lapidibus et metallis est principium descendendi a superioribus ad infima, videmus quod eius oppositum, ut levitas, est principium ascendendi, sicut patet in igne, fumo et similibus. Quia ergo superbia fuit principium descendendi a caelo empyreo, in quo est participatio luminis vitae et beatitudinis aeternae, et labendi in tenebras
Bf.31c infernales, oportet quod oppositum superbiae, scilicet humilitas, sit principium ascendendi a tenebris ad caelum empyreum ad praedicti luminis recuperationem. Via etiam naturali sic potest videri. Quanto enim aliquod corpus in ordine universi est magis imum, tanto fit super ipsum caelestium radiorum maior aggregatio et confractio et per consequens maioris caloris et luminis generatio. Exemplum est de terra, quae inter omnia elementa infimum locum tenet; ideo in ipsa maior est caelestium influentiarum et virtutum caelestium corporum aggregatio: lineae enim pertractae a circumferentia ad centrum quanto [b] centro sunt propinquiores, tanto aggregatiores; in centro vero sunt congregatae in summo, et inde est quod in terra plures naturales effectus producuntur quam in aliquo alio elemento, et plures in aqua quam in aere et plures in aere [c] quam in igne, sicut ordinata sunt ad invicem elementa.

[a] A *qui*. [b] A om. [c] A om.

Iuxta ergo praemissam considerationem quanto aliquis spiritus in ordine ecclesiasticae * hierarchiae fuerit per profundiorem humilitatem magis imus, tanto erit super ipsum ceteris paribus aggregatior et copiosior divinorum radiorum concursus et per consequens divinae illustrationis effectus spiritualis caloris et vivificantis caritatis generativus: « quia superbia exstinguit caritatem, humilitas roborat caritatem », ait Augustinus, *Super epistolam Ioannis,* sermone I [1]. Iuxta quod dicit Psalmista [2]: *Excelsus Dominus humilia respicit et alta a longe cognoscit.* * *Af. 105*

Hoc autem vitium illis maxime est fugiendum, qui se non solum rebus, sed voluntate propria exspoliarunt, Christi semitas arctius eligentes[a], quia odiosus est Deo *pauper superbus,* iuxta illud Eccli. 25, 3: *Tres species odivit anima mea: pauperem superbum* etc. Hieronymus quoque, epistola 46 [3], sic ait: « Quid facit sub tunica poenitentis regius animus »? et epistola 120 [4]: « Plus est animum deposuisse quam cultum, * difficilius arrogantia quam auro caremus et gemmis; his enim abiectis, interdum * *Bf. 31d*

[a] A *eligentis.*

[1] Num. 6 (PL 35, 1982). [2] Psalm. 137, 6. [3] Epist. 17, alias 77, n. 2 (PL 22, 360). [4] Epist. 77, alias 30, n. 2 (PL 22, 691).

gloriosis tumemus sordibus et vendibilem paupertatem populari aurae offerimus ». Haec Hieronymus.

Ad hoc autem maxime valet verum iudicium et vera cognitio sui. Et ideo Richardus, in libro qui dicitur *Beniamin*, ait[1]: « Debet, quicumque est ad sanandum mentis tumorem, infirmitates suas ante oculos ponere et culpas suas, sine quibus nemo hanc vitam transigit, ad memoriam revocare, quam inhonesta saepe in opere, *A f. 105c quam immunda versat in cogitatione, di-*ligenter attendere [a] ». Haec Richardus [b]. Unde Bernardus, *De gradibus humilitatis* [2]: « Humilitas est [virtus], qua verissima sui cognitione sibi quisque vilescit ». Propter quod et in sanctissima Regula fratrum Minorum dicitur [3] ut [c] « *unusquisque iudicet et despiciat semetipsum* », quia *si nosmetipsos iudicaremus, non utique iudicaremur*, ait Apostolus, I Cor. 11, 31. De quo iudicio dicit Gregorius, *Moralium*, XXV, super illud Iob 34, 23: *Ut veniat ad Deum in iudicio* [4]: « In hoc iudicio quatuor concurrunt; nam conscientia accusat, ratio iudicat, timor ligat, dolor excruciat ». Haec Gregorius. *Qui* [d] *enim se putat aliquid esse, cum nihil sit, seipsum se-*

[a] B om. *d. a.* [b] A *fit.* [c] B *et.* [d] B *quis.*

1 Cap. 53 (PL 196, 39). 2 Cap. 1, n. 2 (PL 182, 942).
3 Reg. II, c. 2. *Opusc.*, p. 65. 4 Cap. 7, n. 13 (PL 76, 327).

ducit; opus autem suum probet unusquisque, et tunc in semetipso habebit gloriam et non in altero, dicitur Gal. 6, 3-4.

Ad sui autem despectum potissime inducit memorari omnia bona [a] solum a Deo esse secundum illud Apostoli, I Cor. 4, 7: *Quid habes quod non accepisti? quod si accepisti, quid gloriaris?* Item recogitare nihil esse nostrum nisi malum et peccatum. Unde Augustinus, *Super Ioannem*, homilia V [1]: « Nihil est nostrum nisi peccatum [b] et mendacium ». Osee, 13, 9: *Perditio tui, Israel, tantum in me auxilium tuum.* « Abs te enim habes male agere, ab illo bene », ait Augustinus, *Super epistolam Ioannis*, sermone VIII [2]; et Isai. 26, 12: *Omnia opera nostra operatus es nobis, Domine;* quia ex nobis tantum terra sumus et cinis, iuxta illud Gen. 3, 19: *Pulvis es et in pulverem reverteris. Quid* ergo *superbis, terra et cinis?* Eccli. 10, 9. « Humilitas enim vera est in nullo superbire, in nullo murmurare, nec ingratum esse nec querulum, sed * in omnibus Domini [c] Dei iudiciis* gratias agere Deumque laudare », ait Augustinus, *De * vera innocentia* [3]. *B f. 32a* *A f. 105d*

[a] B *dona*. [b] B om. *Unde... peccatum*. [c] B om.

[1] Num. 1 (PL 35, 1414). [2] Num. 2 (PL 35, 2036).
[3] Seu Prosperi Aquitani sententiae ex Augustino delibatae, § 83 (PL 45, 1866).

Haec humilitas interius habenda est et exterius ostendenda vilitate vestis, gestu corporis et totius conversationis indicio, ita tamen « ut servetur virilitas, veritas[a] et honestas: virilitas contra pusillanimitatem quae animum deicit, veritas contra hypocrisim quae homines fallit, ut non vadas ' inclinato super humerum capite, sicut quidam faciunt, quia hoc sapit hypocrisim ', ut dicit Bernardus in quadam *Epistola* [1], honestas contra stoliditatem quae stultizare cogit [2] », ut semper servetur veritas doctrinae, sinceritas vitae et aequitas iustitiae; « teque solum despicias ac homini omni et statui et praecipue praelatis Ecclesiae sic reputes reverentiam te debere, ut verecunderis plurimum si quem videris te humilius incedentem. Superiores sedes vix coactus admittas, infimas ex corde desideres; laudes tuas sicut cantum audias sirenarum; bona tua nunquam nisi coactus referas; veritatem, cum dicenda est, sine fastu eloquentiae proponas, nec dicas sine dolore cordis verbum pro quo credas te debere sanctum vel sapientem ab hominibus reputari. Nec hoc tibi sufficiat, sed ex corde desideres ' non hu-

[a] A om.

[1] Pseudo-Bernardus, *Formula honestae vitae*, n. 4 (PL 184, 1169). [2] S. Bonav., *De perf. evang.*, q. 1 (V, 122a).

milis praedicari, sed vilis '[1], absque hoc quod tale aliquid scienter merearis ab hominibus reputari[2] ». Unde Bernardus, *Super Canticum*[3]: « Verus humilis nihil[a] vult reputari, non humilis praedicari ». Haec Bernardus.

Velisque ab omnibus[b] despici et contemni; eosque magis diligas qui te despiciunt, « *reprehendunt et arguunt* », * sicut totius humilitatis* *Af.106* amator beatus Franciscus in Regula sua dicit[4]. Cui etiam Gregorius concordat, libro I *Dialogorum,* in laudem Constantii ita dicens[5]: « Pensandum cuius apud se humilitatis fuit, qui despicientem se rusticum amplius amavit. Qualis enim apud se quisque lateat, contumelia illata probat. Nam, sicut * superbi honoribus,* *Bf.32b* sic plerique humiles sui despectione gratulantur, cumque se et in alienis oculis viles ostendunt, idcirco gaudent, quia per[c] hoc iudicium confirmare[d] intelligunt quod de se et ipsi apud semetipsos habuerunt ». Haec Gregorius. Idem quoque Gregorius, super illud II Reg. 6, 22: *Ludam*[e] *et vilior fiam,* dicit[6]: « Acsi

[a] B om. [b] B *hominibus.* [c] AB om. [d] A *confir.* [e] A *Laudam.*

[1] Bernardus, *In Cant.*, XVI, 10 (PL 183, 853). [2] I. Peckam, *Cantic. paup.*, p. 200 sq. [3] Sermo XVI, n. 10 (PL 183, 853). [4] Reg. II, c. 10. *Opusc.*, p. 73. [5] Cap. 5 (PL 77, 180). [6] *Moral.*, XXVII, c. 46, n. 77 (PL 76, 444).

aperte dicat: Vilescere coram hominibus appeto, quia servare me coram Deo ingenuum per humilitatem quaero ». Chrysostomus etiam super hoc verbum sic ait[1]: « Quid de his factis alii sentiant, ignoro; ego David plus stupeo saltantem quam pugnantem: pugnando hostem vicit, saltando coram Deo seipsum vicit ». Haec Chrysostomus.

Et quia hanc incomparabilem margaritam, humilitatis scilicet[a] virtutem praecipuam, pauci habent quia pauci quaerunt, pauci quaerunt quia pauci cognoscunt, maxime de potentibus, nobilibus et sapientibus — quia, ut dicit Bernardus, « multi multa sciunt et seipsos nesciunt, alios respiciunt et se ipsos deserunt »; Augustinus etiam, VIII *Confessionum,* ait[2]: « Plus hostis vincitur in eo quod plus tenet et de quo plus tenet, plus autem superbos tenet nomine
* *Af.106b* nobilitatis et de his plus tenet nomine[b] * auctoritatis ». Haec Augustinus — ad simplicium mei similium consolationem et profectum aliqua subscribantur secundum meae intelligentiae parvitatem ad aliqualem verae humilitatis fructusque eius et utilitatis cognitionem habendam.

[a] A om. [b] A om. *nobilitatis... nomine.*

[1] Haec sententia non est Chrysostomi, sed Gregorii M., *Moral.*, XXVII. c. 46, n. 77 (PL 76, 443). [2] Cap. 4, n. 9 (PL 32, 753).

Ad hoc sciendum quod [1] « summa totius christianae perfectionis in humilitate consistit, cuius actus est interior et exterior vilificatio sui. Totius enim christianae perfectionis summa versatur circa tria, scilicet circa gratiam, iustitiam et sapientiam, secundum quae tria Christus dicitur *via, veritas et vita,* Ioan. 14, 6. Nam donum gratiae viam praebet ad veritatem iustitiae et vitam sapientiae: in gratia consistit exercitium actionis; veritas iustitiae perducit ad gustum sapientiae, in qua consistit solatium contemplationis; quibus perfecte adeptis, ad culmen conscenditur evangelicae perfectionis, quam verbo et exemplo docuit Christus Iesus, qui se magistrum humilitatis * specialiter est professus, *Bf.32c
Matt. 11, 29: *Discite a me quia mitis sum et humilis corde* ».

Nam « humilitas est ostium sapientiae, fundamentum iustitiae et habitaculum gratiae. Sapientia est ' cognitio altissimarum causarum et primarum ' [2] non tantum per modum cognitionis speculativae et intellectualis, verum etiam saporativae et experimentalis. Quia ergo quaecumque facta sunt, ab uno principio manant et de nihilo sunt producta, ille vere sapiens est

[1] Sequitur, non exclusis auctoritatibus ibi allatis, longa citatio sumpta ex S. Bonav., *De perf. evang.*, q. 1 (V, 120b-122b). [2] Aristot., *Metaphys.*, I, c. 1; II, c. 2, text. 3.

qui veraciter recognoscit sui et aliorum nihilitatem et primi principii sublimitatem ». Unde
*Af.106c Augustinus, *Super* * *Psalmum 70* [1]: « Haec est tota scientia magna hominis: scire quoniam ipse per se nihil est et quod quidquid est a Deo est et per Deum est ». Haec Augustinus. « Nullus autem pervenit ad plenam notitiam Dei nisi per veram notitiam sui, nec se ipsum recte cognoscit qui sui ipsius vilitatem non attendit; nam *qui existimat se aliquid esse, cum nihil sit, ipse se seducit* [a] [2]. Sui autem vilitatem cognoscere, hoc est se ipsum humiliare. Est ergo humilitas ostium sapientiae. Propter quod dicit Sapiens, Prov. 11, 2: *Ubi humilitas, ibi et sapientia;* et Dominus, Matt. 11, 25: *Abscondisti haec a sapientibus et prudentibus, et revelasti ea parvulis* », idest humilibus. Quod verbum tractans Bernardus, *De gradibus humilitatis*, ait [3]: « Apparet quod veritas, quae superbis absconditur, humilibus revelatur. Est autem humilitas virtus, qua homo cognitione sui sibi ipse vilescit. Hoc autem convenit his qui ascensionibus in corde dispositis [4] de gradu in gradum proficiunt, donec in culmen humilitatis perveniunt, in qua velut in Sion positi veritates

[a] A *ducit.*

[1] Sermo 1, n. 1 (PL 36, 874). [2] Gal. 6, 3. [3] Cap. 1 et 2, n. 1-3 (PL 182, 942 sq.). [4] Psalm. 83, 6.

prospiciunt. Unde et scala Iacob quid nobis aliud innuit nisi quod in culmine[a] humilitatis consistit cognitio veritatis »? Et sequitur [1]: « Bona via humilitatis, qua veritas requiritur, caritas acquiritur, generationes sapientiae participantur ». Haec Bernardus. Cui etiam Augustinus concordat, in epistola *Ad Dioscorum,* ita dicens [2]: « Non aliam viam tibi ad capescendam et obtinendam veritatem invenias quam quae inventa est ab illo, qui gressuum nostrorum tamquam Deus videt ** infirmitatem: est autem prima humilitas, secunda humilitas, tertia humilitas, et quotiens interrogares, non me aliud respondere * libe-* ret nisi humilitatem ». Haec Augustinus. *Af. 106a* *Bf. 32d*

« Est etiam humilitas fundamentum iustitiae. Nam iustitia est ' reddere unicuique quod suum est ' [3], tam Deo quam sibi, quam proximo. Deo autem principaliter debetur honor et reverentia, et ad haec debito modo reddenda praecipue disponit humilitas, secundum illud Eccli. 3, 21: *Magna potentia Dei solius et ab humilibus honoratur.* Quia initium totius iustitiae est cultus et honor divinus, et hic exhibetur Deo ab humilibus, hinc est quod totius iustitiae ra-

[a] AB *culmen.*

[1] Num. 5 (PL 182, 944). [2] Epist. 118, alias 56, c. 3, n. 22 (PL 33, 442) [3] Plato, I *Dialog. de Republ.* (ed. Serrani, t. II, p. 331).

dix et fundamentum est humilitas ». Unde super illud, Matt. 3, 15: *Sic decet nos implere omnem iustitiam,* dicit Glossa [1] ibi [a]: « Idest omnem humilitatem tenere ». « Etsi quaelibet adsint opera, nulla sunt tamen nisi ex [b] humilitate condiantur; miranda quippe actio! cum elatione non elevat, sed gravat; qui enim sine humilitate virtutes congregat, pulverem in ventum parat [2] ». « Totum enim ruinae crescit quod aedificas, si ante molem fabricae humilitatis fundamentum non procuras ».

« Est etiam [c] humilitas habitaculum gratiae. Gratia enim facit hominem Deo gratum [d]; gratus autem Deo est, qui cognoscit divinae dignationis et condescensionis donum; nullus autem hoc cognoscit nisi qui est conspector suae indignitatis, et talis est vere humilis. Hinc est quod Spiritus Sanctus super solos humiles requiescere dicitur, Isai. ultimo, 2 », secundum aliam litteram: *Super quem requiescet Spiritus meus nisi super humilem* etc., ubi secundum litteram nostram est: *Ad quem respiciam nisi ad pauperculum et contritum spiritu et trementem ser-*
* *Af.107a* *mones meos?* * Et Isai. 57, 15: *Haec dicit Do-*

[a] A om. [b] B om. [c] B *autem.* [d] B *gratum Deo.*

[1] *Ordin.*, in h. l., ap. Lyran. [2] Gregorius M., *In Evang.*, hom. 7, n. 4 (PL 76, 1103). Sequens sententia sumitur ex *Moral.*, XXXIV, c. 23, n. 51 (PL 76, 747).

minus excelsus et sublimis habitans aeternitatem, habitans cum contrito et humili spiritu, ut vivificet spiritum humilium. Et Augustinus, libro III *De doctrina christiana* [1]: « Ad hoc peccata magnorum virorum scripta sunt, ut apostolica illa vera sententia timenda sit, qua dicitur [2]: *Qui putat se stare, videat ne cadat;* nulla enim pagina sanctorum librorum est, in qua non sonet [3]: *Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam* ». Haec Augustinus.

« Quia ergo humilitas habitaculum est gratiae, * hinc est quod in ea consistit totius evangeli- *Bf.33a* cae perfectionis summa ». Unde Bernardus, in quadam *Epistola* [4]: « Humilitas, ad quam utique ducit humiliatio, totius est fabricae spiritualis fundamentum; humiliatio quidem via est ad humilitatem, sicut patientia ad pacem, sicut lectio ad scientiam. Si virtutem appetis humilitatis, viam non refugias humiliationis. Nam si non potes humiliari, non poteris ad humilitatem provehi ». Et sequitur infra [5]: « *Ludam et vilior fiam* [6], ludam scilicet ut illudar; bonus ludus, quo Michol irascitur et Deus delectatur; bonus ludus, qui hominibus quidem ridiculum, sed angelis spectaculum praebet; bonus ludus,

[1] Cap. 23, n. 33 (PL 34, 78). [2] I Cor. 10, 12. [3] Iac. 4, 6; I Petr. 5, 5. [4] Epist. 87, Ad Ogerium, n. 11 (PL 182, 217). [5] Num. 12 (PL 182, 217). [6] II Reg. 6, 22.

in quo efficimur *opprobrium abundantibus et despectio superbis* [1]. Hoc casto et religioso ludo ludebat, qui dicebat [2]: *Spectaculum facti sumus mundo, angelis et hominibus.* Hoc ludo nos interim ludamus et illudamur, confundamur et humiliemur, donec veniat qui *potentes deponit* et *exaltat humiles* [3], qui nos laetificat, exaltat et glorificat in aeternum ». Haec Bernardus.

Quousque signemus servos Dei in frontibus [a].

Quid autem clamet iste *alter angelus?* Audi
* *Af. 107b* quod sequitur: * *Nolite,* inquit, *nocere terrae et mari neque arboribus, quoadusque signemus servos Dei nostri in frontibus eorum* [4]. Videtur per haec verba quod iste alter angelus vere sit vir ille, cui a Domino praeceptum est *signare Thau super frontes virorum gementium et dolentium* [5]; angelisque percutientibus dictum est ut omnes occidant, *super quem* autem *viderint Thau, non occidant,* ut dicitur Ezech. 9, 6. Thau autem crucis habet figuram: « Noluit enim Christus signum suum stellam esse in fronte fidelium, sed crucem suam », prout ait Augusti-
* *Bf. 33b* nus, *Super Ioannem* [6], homilia III. * Hoc enim

[a] A om. *Haec... frontibus.*

[1] Psalm. 122, 4. [2] I Cor. 4, 9. [3] Luc, 1, 52.
[4] Apoc. 7, 3. [5] Ezech. 9, 4. [6] Num. 2 (PL 35, 1396).

est signum quod diabolicam potentiam superat; unde Apoc. 20, 2, dicitur de Christo quod *apprehendit diabolum et misit eum in abyssum et clausit et signavit super illum,* ubi Glossa [1]: « Idest sigillum posuit, signum scilicet crucis, quod eum sic superat ut a fidelibus repellat ». Thau etiam interpretatur '*consummatio*'. *Signare* ergo *Thau super frontes virorum gementium et dolentium* non est aliud quam viris poenitentibus consummativas illas et perfectivas virtutes, quas Christus in cruce ostendit, imprimere. Quod vere fecisse beatum patrem Franciscum omnibus sequacibus suis, nullus qui superiora legit ignorat. Iste enim est qui *scribit librum, imprimit signum, adhibet testes;* qui *emit agrum, qui est in Anathoth* [a] *in terra Beniamin,* ut dicitur Ierem. 32, 8.

Iste liber signatus vere est ipsa sancta Regula fratrum Minorum, quam beatus Franciscus Spiritu Sancto dictante conscripsit; signum impressit, perfectissimas scilicet virtutes, quas Christus in sua passione ostendit; et testes adhibuit, veracissimos scilicet evangelistas, Christi notarios: hi enim sunt *qui testimonium perhibent de his et scripserunt haec, et scimus*

[a] B *Athot.*

[1] *Ordin.,* in h. l., ap. Lyran. (ed. cit. p. 270r).

*Af.107c *quia verum est* * *testimonium* eorum, ut Ioannes evangelista [a] de se dicit, Ioan. [b] 21, 24. In hoc libro sunt stipulationes et rata, verae scilicet et firmae promissiones hereditatis aeternae. Nam hanc Regulam profitentibus promittitur, si eam servaverint, vita aeterna. Haec est enim *evangelium salutis, in quo signati* sumus *Spiritu promissionis Sancto, qui est pignus hereditatis nostrae,* ait Paulus, Ephes. 1, 13-14.

Huic ergo dictum est a Domino, Isai. 8, 16: *Liga testimonium, signa legem in discipulis meis,* quia haec est *testimonium* illud *Domini fidele,* quod *praestat sapientiam parvulis,* idest humilibus Minoribus, ut dicitur in Psalmo [1]. Unde Ierem. 50, 2 dicitur: *Annuntiate in Gentibus et auditum facite, levate signum, praedicate et nolite ce-*
*Bf.33c *clare;* sequitur [2]: *Venient filii Israel et * filii Iuda, ambulantes et flentes properabunt et Dominum Deum suum quaerent, in Sion interrogabunt viam, huc facies eorum venient, et apponentur ad Dominum foedere sempiterno, quod nulla oblivione delebitur.* Haec ibi. Isti sunt de quibus dicitur Ezech. 20, 10-12: *Eieci eos de terra Aegypti, et dedi eis praecepta mea et iudicia mea ostendi eis, quae faciens homo vivet in eis, ut*

[a] B om. [b] B om.

[1] Psalm. 18, 8. [2] Ierem. 50, 4-5.

essent signum inter me et eos et scirent quia ego Dominus sanctificans eos. Haec ibi. Et Isai. ultimo, 19-21: *Ponam in eis signum et mittam ex eis ad Gentes in mari, in Africa, in Lydia, tenentes sagittam in Italiam et Graeciam, ad insulas longe, et annuntiabunt gloriam meam Gentibus,* ** *Af.107d* *et adducent omnes fratres vestros de cunctis Gentibus donum Domino et* [a] *ad montem sanctum meum Ierusalem, et assumam ex eis in sacerdotes et levitas, dicit Dominus.* Haec ibi.

Iste liber dicitur esse liber emptionis agri; hic est ille evangelicus ager, in quo est *thesaurus absconditus, quem qui invenit homo vadit et vendit universa quae habet et emit agrum illum,* ut dicitur Matt. 13, 44, et Prov. ultimo, 16: *Consideravit agrum et emit eum.*

Iste ager *est* [b] *in Anathoth,* quae interpretatur '*obedientia*', *in terra Beniamin,* idest fratris minoris: Beniamin enim dictus est *frater minimus,* Gen. 42, 20. Regula enim fratrum Minorum praecipue dicitur agrum obedientiae emere; « non enim quamcumque obedientiam [c] praecipit sicut aliae Regulae, sed illam quae Iesu Christi Domini nostri aemuletur, ut pati potest humana fragilitas, qui *usque ad mortem* Patri humiliter obedivit » [1], qui scilicet « dedit vitam suam ne

[a] B om. [b] B add. *ille.* [c] B *obedientia.*

[1] I. Peckam, *Cantic. paup.*, p. 198.

perderet obedientiam », ait Bernardus, *Ad archiepiscopum Senonensem* [1]. Idem quoque, in libro *De praecepto et dispensatione*, repetens
*Bf.33d illud verbum de Regula * beati Benedicti [2]: « Obedientia, quae debetur maioribus, Deo exhibetur », sic ait [3]: « Quamobrem [a] quidquid vice Dei praecipit homo quod non [b] sit certum Deo displicere, haud secus omnino accipiendum est quam si praecipiat Deus; quid interest utrum per se aut per suos ministros, sive homines sive angelos, hominibus innotescat suum beneplacitum Deus »? Haec Bernardus.

Propter quod attendere debes, tu, qui hanc profiteris, quod, « cum religiosi alii soleant
*Af.108a obedire salva stabilitate ad locum, * non supra Regulam quam voverunt, scito tibi nullum ius esse in loco nec tibi in aliquo loci ambitu obedientiam terminari nihilque tibi [c] tolerabile debes supra ius obediendi esse asserere, nisi sit contrarium regulae vel saluti tuae generaliter vel ex evidenti causa aliqua speciali. Scito insuper quo est asperius, humilius, carni horribilius quod tibi continget obedientialiter imponi, eo ad ipsum debes esse paratior ex animo; obedientias vero favorabiles pro viribus

[a] B om. [b] B add. *fit*. [c] A om.

[1] Cap. 9, n. 33 (PL 182, 831). [2] Cap. 5 (PL 66, 550).
[3] Cap. 9, n. 21 (PL 182, 873).

declinare: hoc enim est obediendo '*sanctum Evangelium observare*' [1]. Sicque tibi prospicias ut quidquid facis, per superioris obedientiam facias, ut dum bona facis ex caritatis radice et obedientiae insuper fundamento, tibi ex concursu harum duarum virtutum semper meritum duplicetur [2] ». Unde Hugo, in libro *De instructione novitiorum* [3], dicit: « Unusquisque se debet exercere in eo quod sibi iniunctum fuerit, non quod ipse elegerit ». Haec Hugo. « Prima enim confoederatio coenobitarum est obedire maioribus et quidquid iusserint facere », prout ait Hieronymus, epistola 84 [4]. « Obedientia enim est subiectio voluntatis », ait Damascenus, libro III, cap. 14 [5]; et Paulus, Hebr. ultimo, 17: *Obedite praepositis vestris et subiacete eis.*

Hic est ergo ager, qui fructus uberrimos affert. Unde Augustinus, * *Contra adversa-* *Bf. 34a
rium Legis et prophetarum,* ait [6]: « Obedientia maxima virtus est et, ut sic dixerim, omnium origo materque virtutum ». Et in *Vitis Patrum,* libro II, cap. 14, dicitur [7]: « Obedientia est salus omnium fidelium, genitrix omnium virtu-

[1] S. Francisc., *Reg. II,* c. 1. *Opusc.*, p. 63. [2] I. Peckam, *Cantic. paup.*, p. 198 sq. [3] Cap. 4 (PL 176, 928). [4] Epist. 22, n. 35 (PL 22, 419). [5] PG 94, 1042. [6] Lib. I, c. 13, n. 19 (PL 42, 613). [7] Potius Lib. V, libell. 14, n. 19 (PL 73, 953).

*Af. 108b tum, regni caelorum * inventrix, caelos aperiens, homines de terra elevans, cohabitatrix angelorum, sanctorum omnium cibus ». Haec ibi.

Praecipit ergo beatus Franciscus ut non noceant avaris, carnalibus et superbis, *quoadusque signemus* [a] *servos Dei nostri* [b] *in frontibus*, idest quoadusque distinguat servos Dei perfectos per haec signa perfectionis. Sic enim signatis absque dubio nocere non possunt, sicut dicitur Ezech. 9, 6; et Apoc. 9, 4, dicitur quod a scorpionibus illis, qui habent super se regem angelum abyssi, laeduntur *tantum homines qui non habent signum Dei in frontibus suis*. Signa autem ista sunt illa quae exterminant ista tria, scilicet terram, mare et arbores, idest concupiscentiam oculorum, concupiscentiam carnis et superbiam vitae, quae sunt omnium [c] malorum radices, ut superius est expositum. Haec autem exterminantur per ista tria, quae sunt omnium bonorum fundamentum, perfectio et consummatio, scilicet paupertas summa, castitas illibata, obedientia prompta.

Propter quod dicit: « *Regula et vita fratrum Minorum* [d] *haec est, scilicet Domini nostri Iesu Christi sanctum Evangelium observare vivendo in obedientia* », et in hoc vivens secundum Re-

[a] A *signet.* [b] A *mei,* [c] B om. [d] B *Minorum fratrum.*

gulam unitur spiritui summo, scilicet Deo: *Qui enim adhaeret Deo, unus spiritus efficitur*, sicut dicitur I Cor. 6, 17; « *sine proprio* », et in hoc absolvitur a bono infimo, quia talis *abrenuntiat omnibus quae possidet* [1]; « *et in castitate* », * et in hoc ordinatur anima in suo intimo sive in bono medio. In iis enim consistit humana perfectio, scilicet in absolutione omnis amoris ab infimis, in recta ordinatione * in bonis mediis et in subiecta unitione cum bonis summis. Unde Augustinus, epistola 83 [2]: « Qui non diligit infimum nec superbit in medio atque sic est idoneus adhaerere summo, ille est perfectus ». Haec Augustinus. Et in istorum trium figura dictum est Abrahae, Gen. 12, 1: *Egredere de terra tua et de cognatione tua et de domo patris tui.*

*Bf.34b

*Af.108c

Qualiter autem obedientia sit servanda, docet ipse beatus pater Franciscus in Regula, cap. 10, ubi dicit quod fratres, ad hoc ut facilius et melius obediant, « *recordentur quod propter Deum abnegaverunt proprias voluntates* », quia ex quo eam Deo dedicaverunt, non debent eam amplius repetere. Istud est enim donum quod Deus petit ab homine, iuxta illud Prov. 23, 26: *Fili, praebe mihi cor tuum et oculi tui vias meas custodiant.* Cor enim tunc dat

[1] Luc. 14, 33. [2] Cf. epist. 118, c. 3, n. 13sqq. (PL 33, 438sqq.); *De lib. arb.*, II, c. 19 (PL 32, 1268).

homo Deo, quando abnegat propriam voluntatem propter Deum; propter quod Dominus dicit, Matt. 16, 24: *Qui vult venire post me, abneget semetipsum et tollat crucem suam et sequatur me.* Nec aliquod aliud donum potest Deo placere, si homo retineat sibi propriam voluntatem; unde Isai. 58, 3 dicitur: *Ecce in die ieiunii vestri invenitur voluntas vestra.* Nec immerito, quia propria voluntas est origo omnium malorum, prout ostendit Anselmus, in libro *De similitudinibus* [1], ubi dicit quod « sicut propria voluntas Dei est fons et origo omnis boni, sic propria voluntas hominis totius est exor-
Bf.34c dium mali, et est sicut herba ve-*nenosa, ex
Af.108d qua quisquis comederit * leprosus efficitur ».
Haec Anselmus. Et ibi multa de hoc.

Et ideo obedientia est summe placita Deo. Unde I Reg. 15, 22: *Melior est obedientia quam victimae.* Quod verbum tractans Gregorius, *Moralium* ultimo [2], ait: « Obedientia victimis iure praefertur, quia per victimas caro aliena, per obedientiam voluntas propria mactatur. Tanto igitur quisquis Deum citius [a] placat, quanto ante eius oculos repressa arbitrii sui superbia gladio praecepti se immolat: *Vir quippe*

[a] B *citius Deum.*

[1] Cap. 8 et 38 (PL 159, 607, 619). [2] Lib. XXXV, c. 14, n. 28 (PL 76, 765).

obediens loquetur victorias [1], quia dum alienae voluntati [a] humiliter subdimur, nosmetipsos in corde superamus ». Haec Gregorius. Ad imitationem ergo Salvatoris, qui non venit facere voluntatem suam, sed Patris, ut dicit, Ioan. 6, 38, quique instante hora passionis et mortis voluntatem Patris suae praeposuit dicens, Matt. 26, 39: *Pater, si fieri potest, transeat a me calix iste, verumtamen non mea voluntas, sed tua fiat*, debent fratres prompte, voluntarie, veraciter et perseveranter obedire.

Qualiter autem ipsa summa paupertas sit servanda, ipse beatus pater Franciscus ostendit in Regula, cap. 6, ubi dicit quod « *fratres nihil sibi approprient nec domum nec locum nec aliquam rem* » etc.; cuius appropriationis signa sunt pro voluntate accipere, pro voluntate retinere, pro voluntate [b] uti ac dare, a quibus debent abstinere absque licentia superioris talia concedentis ad usum, non ad proprietatem. Unde Augustinus, in Regula sua [2], ait: « Cum [c] huius nostrae congregationis fratres non solum facultatibus, sed * voluntatibus propriis in ipsa Ordinis susceptione renuntiaverint et se per pro- *Af.109a

[a] A *voti*. [b] A om. *accipere... voluntate*. [c] B *cuius*.

[1] Prov. 21, 28. [2] Cf. *Regulae clericis traditae fragmentum*, ubi deest sola prima pars textus (PL 32, 1449).

missam obedientiam penitus aliorum potestati et imperiis in Christo et pro Christo subdiderint [a], certum est eos nihil habere, possidere, dare vel accipere sine superioris licentia debere; quod si propinquus vel amicus vel qui-
Bf. 34d libet fratrum cuiquam * aliquid offerre voluerit, primo quidem priori insinuetur et sic suscipiatur, si ipse mandaverit, de quo tamen nihil fiat aliud nisi quod priori placuerit ». Haec Augustinus.

Et, « *tamquam peregrini* », scilicet ad alium locum, idest regnum caelorum, pergentes; « *et advenae* », de alio loco venientes; « *in paupertate et humilitate* » etc. quasi dicat: sicut tales in viis, per quas incedunt, non intendunt diu immorari nec lasciviis voluptari nec ponderibus aggravantibus onerari nec negotiis saecularibus implicari nec in erigendis habitaculis occupari nec ludis vel spectaculis illaqueari nec ritibus terrarum per quas incedunt conformari, sed intendunt sustentari et indeviabiliter progredi et termino ad quem tendunt appropinquari. Unde Tullius, I *De officiis*, cap. 39: « Peregrini officium est nihil praeter suum negotium agere, nihil de aliquo inquirere minimumque esse in aliena re publica curiosum ». Idem etiam dicit Bernardus, sermone VII [b],

[a] AB *subdiderunt*. [b] AB *3*.

In capite ieiunii [1]. Sic ergo debent esse fratres spiritualiter exemplo sanctorum sic facientium, de quibus Hebr. 11, 13: *Confitentes quia peregrini et hospites sunt super terram,* et I Petr. 2, 11: *Obsecro vos tamquam advenas et peregrinos abstinere vos* [a] *a carnalibus desideriis.* Unde de sanctis ait Gregorius, *Moralium,* VIII [2]: « Sic temporali refoventur * subsidio *Af.109b* sicut viator in stabulo utitur lecto: pausat et recedere festinat, quiescit corpore et ad [b] aliud tendit mente ». Haec Gregorius.

Sequitur: « *Haec est illa celsitudo altissimae paupertatis* ». ' Altissima ' dicitur, quia fundata super Christum, qui est *in vertice montium* et sublimis *super colles,* Isai. 2, 2. Dicitur etiam ' altissima ', quia sunt homines res temporales ad proprium usum possidentes — quia tamen illas non supra Deum, sed sub Deo diligunt, iudicantur pauperes: * « pauper enim est qui *Bf.35a* apud se elatus non est », ait Gregorius, *Moralium,* VI [3] — et haec est paupertas alta; et sunt alii habentes res in communi, non in proprio, sicut religiosi communiter, et haec paupertas ratione status est altior; et est alia paupertas nihil omnino habentium nec in communi nec in spe-

[a] A om. [b] B om.

[1] Num. 1-3 (PL 183, 183sq.). [2] Cap. 54, n. 92 (PL 75, 857). [3] Cap. 22, n. 39 (PL 75, 750).

ciali, qualis est paupertas sanctae huius Regulae professorum, et ideo merito dicitur paupertas ‘ altissima ’ [a].

Dicitur etiam in Regula, supra, cap. 5, ‘ sanctissima ’ paupertas, quia scilicet sanctificat: « Quos enim morum infirmitas vulnerat, medicina paupertatis curat », ait Gregorius, homilia *Evangeliorum* ultima[1]. Propter quod dicit beatus pater Franciscus, infra, cap. 10, ut « *caveant fratres ab omni avaritia, cura et sollicitudine huius saeculi* ». Avaritia autem « est vitium animae perverse amantis aurum vel quodvis terrenum, iustitia derelicta », ait Augustinus, XII *De civitate,* cap. 8[2]; vel avaritia « est qua quis appetit amplius quam oportet propter excellentiam suam et quemdam propriae rei amorem », ait Augustinus, *Super Genesim,* XI[3]; vel avaritia « est plus quam sibi sufficit appetere », *Enchiridion,* cap. 30[4]; vel avaritia « est immoderata habendi
* *Af.109c* cupiditas, * quae non solum est pecuniae, sed altitudinis et scientiae », prout dicitur libro II *Sententiarum,* dist. 21[5]. Unde Origenes, *Super Exodum,* homilia XII[6]: « Si laudis cupidus

[a] A *altissima paupertas.*

[1] Num. 10 (PL 76, 1310). [2] PL 41, 355. [3] Cap. 15, n. 19 (PL 34, 436). [4] Potius 45 (PL 40, 254). [5] Cap. 5, ex Gregor. M., *In Evang.,* hom. 16, n. 2 (PL 76, 1136). [6] Num. 4 (PG 12, 387).

sum et gloriam sector humanam, si de omnium vultibus et sermonibus pendeo, quid [a] de me ille [sentiat, quomodo ille me] habeat, ne ab illo despiciar, si illi placens sum: donec ista requiro, servus sum horum, etiamsi me [b] pecuniae amor non superat, si me divitiarum cura non stringit ». Haec Origenes. Vel avarum esse est « progredi ultra quam sufficit », ait Augustinus, *Super epistolam Ioannis*, sermone VIII [1]. Et ex hac « oriuntur proditio, fraus, fallacia, periuria, inquietudo, violentiae, contra misericordiam obdurationes cordis », secundum Gregorium, XXXI *Moralium* [2]. Unde et hoc potest esse in appetitu immoderato excellentiae, scientiae, apparentis sanctimoniae, saecularis famae, * et sic de aliis; Iob 27, 8: *Quae est spes hypocritae, si avare rapiat?* Ibi Gregorius, XVIII *Moralium* [3]: « Idcirco hypocrita, avarus, raptor, quia dum inique agens de sanctitate venerari desiderat, laudem vitae rapit alienae [c] ». Haec Gregorius. Hanc sequuntur cura et sollicitudo saeculi, a quibus similiter est cavendum, prout ibi dicitur, et Matt. 6, 34 dicit Dominus: *Nolite solliciti esse* etc. *Bf.35b

[a] B *qui*. [b] B om. [c] B *alienae rapit*.

[1] Num. 6 (PL 35, 2039). [2] Cap. 45, n. 88 (PL 76, 621).
[3] Cap. 7, n. 13 (PL 76, 44).

Qualiter autem illibata castitas conservetur, ostendit beatus pater Franciscus in Regula, cap. 11: «*Praecipio,* inquit, *firmiter fratribus universis*» etc. Ubi attendere debes quod hic tertio
* *Af. 109d* ait: *Praecipio* * *firmiter;* primo supra, cap. 4, in prohibitione receptionis pecuniae, quod spectat ad paupertatis puritatem; secundo in praeceptione obedientiae ministris exhibendae, supra, cap. 10, quod spectat ad obedientiae humilitatem; tertio hic in cavendo suspecta consortia mulierum, quod spectat ad castitatis sinceritatem. Sciens enim [a] beatus Franciscus hominis fragilitatem et ad malum pronitatem, hostis sagacitatem, mulierum contagiosam infectibilitatem, prohibet hic suspecta earum consortia in gestu et consilia in affatu, quae possunt esse suspecta ratione personarum vel ratione temporis sive loci suspectorum vel ratione frequentationis vel ratione signorum deordinationis vel ratione transgressionis praecepti, ut cum alicui praecipitur ut a talibus caveat nec tamen cavet. Ideo Eccli. 9, 8 dicitur: *Averte faciem tuam a muliere compta,* et sequitur: *Colloquium illius quasi ignis exardescit.* Unde Hieronymus, epistola 42 [1]: «Ego iudico, si cum

[a] B *igitur.*

[1] Pseudo-Hieronymus, epist. ad Oceanum, c. 4 (ed. Vallarsii, t. XI, col. 271).

viris feminae habitent, non deerit viscarium [a] diaboli: ex his aucupatum est ab initio peccatum ». Haec Hieronymus.

Et ne quis confidat in sanctitate, sequitur: « *Ne ingrediantur monasteria monacharum* »; quia, ut ait Hieronymus, epistola 34 [1], « nec David sanctior nec Salomone poteris esse sapientior, * et tamen decepti sunt per mulierem ». * *Bf. 35c* Haec est enim quae *multos vulneratos deiecit et fortissimi quique interfecti sunt ab ea,* ut dicitur [b] Prov. 7, 26. Et ideo monialis sancta noluit quod frater suus visitaret eam ne propter eam [c] * veniret in medium feminarum, prout * *Af. 110a* dicitur in *Vitis Patrum* [2], libro II, cap. 4; Eccli. 42, 12: *In medio mulierum noli commorari, de vestimentis enim procedit tinea et a muliere iniquitas viri.* In cavendis enim talibus consortiis et colloquiis nunquam potest vir religiosus nimis facere vel nimis cautus esse quantumcumque sanctus, saltem ob devitationem imaginationum vel cogitationum. Unde in *Vitis Patrum,* libro II, cap. 5, ait senex [3]: « Veteres et novi pictores sunt cogitationes meae et commemorationes quaedam inquietantes me ex similitu-

[a] B *visitarium.* [b] B om. [c] B *propterea* pro *p. e.*

[1] Epist. 52, alías 2, n. 5 (PL 22, 531 sq.). [2] Lib. III, n. 33; lib. V, libell. 4, n. 61 (PL 73, 760, 872). [3] Ibid., lib. V, libell. 5, n. 6 (PL 73, 875).

dine mulierum; ideo nolo loqui cum muliere ». Et [a] haec ibi.

His autem et aliis in Regula comprehensis, in fine concluditur quod « nulli omnino hominum hanc licet infringere », nec scilicet publica contradictione nitendo ad status destructionem nec manifesta apostasiae praevaricatione dimittendo statum post professionem nec occulta perversitate vivendo sub habitu, non tamen secundum Regulae puritatem. Sunt enim qui vellent statum omnino destruere, et sunt qui statum derelinquunt apostatando manifeste, et sunt qui non vivunt secundum statum, latent tamen sub habitu; propter quod ait, supra, cap. 2: « *Nullo modo licebit eis* [b] *de ista Religione exire, quia secundum sanctum Evangelium* [1] *nemo mittens manum ad aratrum et aspiciens retro aptus est regno Dei* ». « Quae sententia [2] invalida esset, nisi in quamcumque aliam Religionem ingredi *Af.110b* professis in ista esset retro aspicere et minus Deo solvere quam in ista Domino promiserunt », cum nulla alia Religio sive Regula vel Ordo alius virtutes in tanto gradu habeat, *Bf.35d* ut ex superioribus claret.

« Ex quo sequitur quod nullus ab ista voluntarie discedens voluntarieque extra persistens

[a] B om. [b] A om.

[1] Luc. 9, 62. [2] I. Peckam, *Cantic. pauperis*, p. 196.

in statu salutis [a] existere est credendus »; et super omnes praedictos nisi resipiscant descendet maledictio Dei et eius indignationem incurrent aeternaliter, super illos vero qui Regulam affectualiter amant, perfectibiliter adimplent et in eius observantia perenniter perseverant, descendet affluenter Dei benedictio in tempore et cum eo regnabunt in aeternitate. *Hic* est enim ille [b] *liber mandatorum Dei et lex quae est in aeternum; omnes qui tenent eam pervenient ad vitam, qui autem derelinquunt eam in mortem,* ut dicitur Bar. 4, 1.

Audivi numerum signatorum 144 millia [c].

Sequitur autem Ioannes in Apocalypsi [1] et dicit: *Et audivi numerum signatorum centum quadraginta quatuor millia ex omni tribu filiorum Israel;* ubi Glossa [2]: « Idest ex omnibus Gentibus Iacob imitantibus ». Quibus autem mysteriis plenus sit iste numerus duodecim tribuum tam aequalis, tam integer tamque compositus ut nullus altero maior aut minor inveniatur, qui etiam idem numerus simili lege compactus virginum,

[a] B om. [b] A om. [c] A om. *audivi... millia.*

[1] Cap. 7, 4. [2] *Ordin.*, in h. l., ap. Lyran. (ed. cit., p. 251r).

qui *Agnum sequuntur,* esse perhibetur, Apoc. 14, 3-4, quique sicut et hi signati esse dicuntur in frontibus, unde scriptum est [1]: *Habentes*
**Af.110c* *nomen eius,* idest Agni, *et nomen Patris eius* * *scriptum in frontibus suis,* ego perscrutari non audeo, credens tarditatem ingenii mei in his non posse proficere, sed deficere potius. Unum tamen attendo, quod utrique simili modo signati dicuntur; per istam autem signationem perfectionem vitae et virtutum intelligi superius est [a] expositum, et ideo talis numerorum compositio in utrisque, qui simili modo signantur, aequalem virtutum meritorumque praerogativam esse demonstrat.

Consurgit enim numerus iste ex duplici perfectione, scilicet millenarii et duodenarii. Millenarius perfectionem Decalogi mandatorum de-
**Bf.36a* signat, quia consurgit ex denario * in se replicato replicatione perfecta, ut decies decem decies; duodenarius autem, qui est numerus abundans, abundantiorem iustitiam ostendit, quae in supererogativa consiliorum consistit, quae *legem non solvit, sed* magis *adimplet* et perficit. Iuxta quod Christus dicit, Matt. 5, 17: *Non veni solvere legem, sed adimplere,* et sequitur [2]: Quia

[a] B om.

[1] Apoc. 14, 1. [2] Matt. 5, 20.

nisi abundaverit iustitia vestra plus quam scribarum et pharisaeorum, non intrabitis in regnum caelorum. Consurgit autem duodenarius numerus ex ductu quaternarii in ternarium vel e converso, idest quatuor virtutum cardinalium in tres theologicas vel e converso, in quibus perfectio vitae consistit. Et ad hanc [a] perfectionem plenius ostendendam duodecim millia multiplicantur per quatuor et fiunt quadraginta octo millia, deinde quadraginta octo millia [b] multiplicantur per tria et fiunt centum quadraginta quatuor millia.

In qualibet etiam harum duodecim tribuum, si bene advertis, invenies duodecim boves mare sustentantes, III Reg. * 7, 25, duodecim lapides* *A f. 110d* altaris, III Reg. 18, 31, duodecim lapides de Iordane extractos, Ios. 4, 3, duodecim lapides pretiosos vestis pontificalis, Exod. 39, 14, duodecim fontes, Exod. 15, 27, duodecim panes propositionis, Levit. 24, 5, duodecim vitulos immolatos, Exod. 24, 5, duodecim angelos portarum, Apoc. 21, 12, duodecim exploratores, Num. 13, 3, duodecim fructus Spiritus, Gal. 5, 22, duodecim fructus ligni paradisi, Apoc. 22, 2, duodecim stellas [c] ex quibus corona componitur, Apoc. 12, 1. In quolibet autem horum duodecim * duode-* *B f. 36b* nariorum millenarius intelligendus est, qui im-

[a] B *hac.* [b] B om. *deinde... millia.* [c] AB *stelle.*

pletionem Decalogi mandatorum designat, ut est dictum; in duodenariis autem praerogativae speciales designantur, quas prosequi exponendo propter brevitatem ad praesens omitto. Sic ergo multiplicando duodecies duodecim millia, habebis centum quadraginta quatuor millia.

Et haec est summa huius sacratissimi numeri in quo consistit perfectio et consummatio civitatis illius novae [a] Ierusalem, in qua Deus inhabitat, de qua Apoc. 21, 10-11: *Sustulit me in spiritu in montem magnum et altum, et ostendit mihi civitatem sanctam Ierusalem descendentem de caelo a Deo* [b], *habentem claritatem Dei; et civitas in quadro posita* erat; *et mensus est civitatem per stadia duodecim millia, et longitudo et latitudo et altitudo eius aequalia sunt, et mensus est muros eius centum quadraginta quatuor cubitorum* [1]. Quatuor autem latera huius
* *Af. 111a* civitatis sunt * fides, spes, caritas et operatio, quae sunt aequalia, quia quantum quis credit tantum sperat et [c] quantum sperat tantum diligit et [d] quantum diligit tantum operatur. *In quadro* ergo *posita*, « quia robusta fide, longanimis spe, ampla caritate, efficax operatione ». Ita exponitur ibi in Glossa [2].

[a] A om. [b] B om. *a Deo*. [c] A om. [d] A om.

[1] Apoc. 21, 16-17. [2] *Ordin.*, in h. l., ap. Lyran. (ed. cit., p. 272v).

Haec autem civitas omnibus referta virtutibus, quae sic *in quadro posita* omnino mutare non potest, apostolicis margaritis ornata, super pretiosos lapides rationalis summi pontificis Christi Iesu fundata, vere est Religio fratrum Minorum, ut ex superioribus claret. Haec est enim civitas illa nobilissima habens fundamenta, *cuius artifex et conditor Deus*, ut ait Paulus, Hebr. 11, 10, quae constructa est * *secundum* *Bf.36c *mensuram regulae quam mensus est nobis Deus*, ait Apostolus, II Cor. 10, 13. Et dicitur haec civitas *aurum mundum simile vitro mundo*, et mensura eius similiter aurea, Apoc. 21, 18; *omnia* enim operta sunt *laminis aureis opere quadro ad regulam*, ut dicitur III Reg. 6, 35. Per *laminas aureas* intelliguntur virtutum claritates, quia « in auro intelligitur claritas vitae et sapientiae », ait Gregorius, *Moralium*, XVIII [1]. Haec est illa civitas, quae *supra montem posita abscondi non potest*, ut Dominus dicit, Matt. 5, 14; haec est illa *civitas* Dei, de qua *gloriosa* sine dubio *dici* possunt, quam ipse *Altissimus in montibus sanctis fundavit*, ut dicitur in Psalmo [2]; haec est *urbs* illa *fortitudinis nostrae*, in qua *Salvator* ipse [a]

[a] A om.

[1] Cap. 26, n. 39 (PL 76, 58). [2] Psalm. 86, 2-3.

est *murus et antemurale,* per cuius portas *gens iusta ingreditur custodiens veritatem* quamque *calcat pes pauperis, gressus egenorum,* in qua *semita iusti recta* facta *est ad ambulandum,* ut dicitur Isai. 26, 1-7. *Occupabit* enim *salus muros* eius *et portas* eius *laudatio,* ubi *minimus* **Af.111b* *erit in* * *mille et parvulus in gentem fortissimam,* Isai. 60, 18-22. *Super* quos *muros* huius *Ierusalem constituit* Dominus *custodes: tota die et nocte perpetuo non tacebunt,* Isai. 62, 6; et Tob. 13, 21-22 dicitur: *Portae Ierusalem ex sapphiro et smaragdo aedificabuntur, et ex lapide pretioso omnis circuitus murorum eius, ex lapide candido et mundo omnes plateae eius sternentur et per vicos eius alleluia cantabitur,* idest « laus Dei humanis verbis inexplicabilis », ut dicitur in Glossa [1]. Haec est *Ierusalem, civitas veritatis, mons Domini exercituum, mons sanctificatus,* ut dicitur Zach. 8, 3.

Huius autem civitatis *murus magnus et altus* est ipsa sancta Regula fratrum Minorum omnem continens vitae perfectionem, duodecim habens capitula tamquam *duodecim portas singulis margaritis* ornatas [2]. Quarum tres sunt ad Orien-

[1] *Interlin.,* in Apoc. 19, 1. [2] Apoc. 21, 12 et 21. Quae sequitur descriptio portarum quasi ad litteram legitur ap. I. Peckam, *Cantic. pauperis,* p. 204, et ap. S. Bonav., *Exposit. super Regulam,* in initio singulorum capitulorum sparsim.

tem: prima est Religionis inchoatio per Evangelii professionem, * ibi: « *Regula et vita Mino-* *B f. 36d
rum fratrum[a] *haec est* » etc.; secunda est inchoatae propagatio per venientium receptionem, ibi: « *Si qui voluerint hanc vitam accipere* » etc.; tertia est receptorum informatio ad disciplinatam conversationem, ibi: « *Clerici faciant divinum officium* » etc. Tres sunt ad Aquilonem: quarum prima excludit periculum ludae pecunia[b] abutentis, ibi: « *Praecipio firmiter fratribus universis ut nullo modo denarios vel pecuniam recipiant* » etc.; secunda tollit periculum Religionis fictae in otio viventis, ibi: « *Fratres quibus gratiam dedit Dominus laborandi laborent* » etc.; tertia amovet periculum multitudinis infirmae ad usum concessa appropriando contendentis[c], ibi: « *Fratres nihil sibi approprient* » etc. Tres sunt ad Occiden-*tem,* *Af. 111c
quarum prima dat remedium fratribus lapsis, ibi: « *Si qui fratrum instigante inimico mortaliter peccaverint*[d] » etc.; secunda per generale regimen providet universis, ibi: « *Universi fratres unum de fratribus* » etc.; tertia per praedicationis officium praebet cibum vitalem omnibus exteris, ibi: « *Fratres non praedicent in episcopatu* » etc. Item, tres sunt[e] ad Austrum, regionem lucis et caloris, quarum prima docet servare

---

[a] A *fratrum Minorum.* [b] B *pecuniam.* [c] A *condetis,* B *condentis.* [d] A om. *m. p.* [e] B om.

omnem virtutum perfectionem, praecipue caritatis, ibi: « *Fratres qui sunt ministri et servi* » etc.; secunda docet servare famae sinceritatem a macula maxime foeditatis, ibi: « *Praecipio firmiter fratribus universis ut non habeant suspecta consortia vel consilia mulierum* » etc.; tertia sitientes martyrii palmam docet infidelibus se iungere, domesticis abdicatis, ibi: « *Quicumque fratrum divina inspiratione voluerint ire inter Saracenos et alios infideles* [a] » etc.

Hae sunt *portae filiae Sion,* quas *Dominus diligit,* in quibus Dei *laudes annuntiantur,* per quas qui intrat *exaltatur,* idest elongatur *de portis mortis,* ut dicitur in Psalmo [1]. Quod exponens Augustinus, ait [2]: « *Portae filiae Sion* sunt optima studia, per quae venitur ad visionem pacis ». Haec est civitas sic distincta per duodecim portas secundum duodecim tribus [b] filio-
*Bf.37a rum Israel [3], cuius *civitatis* * *nomen ex illa die Dominus ibidem,* ut dicitur Ezech. ultimo, 35. Hic est terminus, in quo possidetur terra in duodecim tribus filiorum Israel, ut Dominus dicit, Ezech. 48, 29. Beati ergo sunt, qui *per* has *portas* ingrediuntur *civitatem,* quia *eorum potestas* [c] *est in ligno vitae,* ut dicitur Apoc. 22, 14.

[a] A om. *voluerint... infideles.* [b] B *tribuum.* [c] B *portas.*

[1] Psalm. 86, 2; 9, 15. [2] In Psalm. 9, n. 14 (PL 36, 123). [3] Apoc. 21, 12.

In quibus *portis* * *nomina inscripta* sunt *duo-* *Af.111d*
decim tribuum filiorum Israel, Apoc. 21, 12. Hi autem intelliguntur filii spirituales beati Francisci, qui per [a] Iacob designatur, ut ex superioribus claret. Si enim filios carnales Iacob intelligi voluisset, nequaquam primo Iudam posuisset, sed Ruben, qui fuit primogenitus Iacob, nec Manassen posuisset ante Ioseph patrem suum; Ioseph autem ponitur pro Ephraïm, Manasses pro Dan, ut numerus duodenarius compleatur. *Ioseph* enim in hac civitate *duplicem funiculum habet,* ut dicitur Ezech. 47, 13, quia Dan in hac civitate non potest habitare, cum de eo [b], ut communiter dicitur, Antichristus nasci debeat [1]. *Non* enim *intrabit in* illam *aliquid coinquinatum* et *faciens abominationem et mendacium,* ut dicitur Apoc. 21, 27, sed *foris canes et venefici et impudici et homicidae et idolis servientes et omnis qui amat et facit mendacium,* Apoc. 22, 15. Absit autem ut haec inveniantur in hereditate Iacob. Beatus enim pater Franciscus dixit se habere per revelationem [2] quod nullus volens male [c] vivere poterit in Ordine isto

[a] A om. [b] A *Deo* pro *de eo,* B om. *de.* [c] A *male volens.*

[1] Cf. S. Bonav., *In Hexaem.,* coll. XV, n. 3. [2] Cf. Th. Eccleston, *De adv. fr. Min. in Angliam,* coll. XIII; *Spec. Perf.,* c. 79.

stare [a]. Dan enim proprie civis est Babyloniae, quae interpretatur '*confusio*', quia Antichristus in Babylonia nasci debet, ut dicitur communiter. Quod praevidens Moyses, Deut. 33, 22, ait: *Dan, catulus leonis, fluet largiter de Basan,* idest de confusione; Basan enim '*confusio*' interpretatur: multi enim sequentur eum, qui postea confusi convertentur in amaritudinem poe-
*Af.112a nitentiae, iuxta illud Psalmi [1]: * *Dixit Dominus: Ex Basan convertam in profundum maris.* Dan
*Bf.37b autem interpretatur * '*iudicium*', quia Antichristus iudicem omnium se esse ostentabit; quia Rachel dixit in eius nativitate: *Iudicavit mihi Dominus,* Gen. 30, 6.

Unde Iacob cum benediceret filios suos, praesentes tangens, futura praevidens, ait de Dan, Gen. 49, 16: *Dan iudicabit populum suum;* sed quia iudicium suum omnino malum erit, non bonum nec utile, ideo addit Iacob: *Fiat Dan coluber in via, cerastes in semita.* Coluber autem est serpens a colendo umbras dictus; in quo ostenditur quod flagitiosissimus erit: *Omnis* enim *qui male agit odit lucem, et non venit ad lucem ut non arguantur opera eius,* ut Dominus ait, Ioan. 3, 20, et ut ibidem dicitur: *Lux venit*

[a] B om.

[1] Psalm. 67, 23.

in mundum et dilexerunt homines magis tenebras quam lucem, erant enim eorum mala opera. Cerastes autem est serpens cornutus, qui « abscondit se sub sabulo ut capiat aves contra se volantes; et in hoc ostenditur quod erit fraudulentissimus. *Mordens unguiam equi, ut cadat ascensor eius retrorsum* [1]; certum est quod per *equum* significatur praedicator veritatis, per *ungulam* perfectio evangelica, quam Antichristus impugnabit: equus enim, si non habet fixionem ungulae, nihil valet [2] ». Sequitur autem Iacob et dicit: *Sed ego salutare tuum exspectabo, Domine*; quasi dicat: Non erit iste salvator meus, sed Christus Iesus, qui utique *salvum faciet populum suum a peccatis eorum*, ut dicitur Matt. 1, 21, qui, inquam, venit *non ut iudicet mundum*, * *sed ut salvetur mundus per eum* [a], ut dicitur* *Af. 112b* Ioan. 3 [b], 17.

Aliud etiam est attendendum quod solum filii masculi hic nominantur, quia per masculos filios opera bona et perfecta intelliguntur, per feminas autem opera mala et imperfecta, quia mulier est homo imperfectus [3]. Inde est quod *rex Aegypti*, per quem princeps tenebrarum in-

[a] A om. [b] B *Matt. 1.*

[1] Gen. 49, 17. [2] Haec ad litteram leguntur apud S. Bonav., *In Hexaem.*, coll. XV, n. 3. [3] Cf. Aristot., *De animal. generat.*, II, c. 3.

telligitur, omnes masculos iubet necari et feminas reservari [1]. Propter quod et de sanctis patribus antiquis non legimus quod filias genuissent, sed tantum filios; unam autem solam filiam dicitur Iacob genuisse, et propter illam odio
*Bf. 37c habitus * et fere periclitatus est et deletus cum tota domo sua, ut dicitur Gen. 34, 30; unde et de Salphaad, qui tantum filias habuit, dicitur Num. 27, 3 quod *mortuus est in peccato suo: non* enim *habuit mares filios.*

Quatuor autem sunt quae istam civitatem constituunt, quorum quodlibet [a] triplicatur et fiunt duodecim, quae designantur in his [b] duodecim tribubus [c] Israel. Primum est Dei praecipuus cultus tamquam latus ad Orientem, secundum est cum Deo indissolubilis nexus tamquam latus in Meridie, tertium est secundum Deum fervidus zelus tamquam latus ad Septemtrionem, quartum est de [d] Deo sapidus sensus tamquam latus in Occidente [2].

Isti sunt *quatuor ordines lapidum in veste poderis, in quibus sunt sculpta parentum magnalia,* ut dicitur Sap. 18, 24. Isti sunt *quatuor ordines lapidum* dispositi in rationali summi pontificis, in quo posuit Deus doctrinam et veritatem;

[a] B *quolibet.* [b] B om. [c] B *tribus.* [d] B *cum.*

[1] Exod. 1, 16. [2] Cf. S. Bonav., *In Hexaem.*, coll. XXIII, n. 15.

quod quidem rationale *qua-*drangulum* est *et* *Af.112c
duplex, habens *mensuram palmi*, in quo sunt sculpta *nomina tribuum Israel*, ut dicitur Exod. 28, 16-21. Quilibet autem horum ordinum tres lapides continet et fiunt duodecim, quia duodecim sunt lapides pretiosi in fundamento huius civitatis, ut dicitur Apoc. 21, 19. Unde ait Dominus huic civitati, Isai. 54, 11-14: *Ecce ego sternam per ordinem lapides tuos et fundabo te in sapphiris, ponam iaspidem propugnacula tua et portas tuas in lapides sculptos, et omnes terminos tuos in lapides desiderabiles, universos filios tuos doctos a Domino et multitudinem pacis filiis tuis, et in iustitia fundaberis*. Haec ibi.

Haec autem omnia principaliter caritas operatur, ad quam sequuntur omnes virtutes aliae, * quia omnes virtutes faciunt unum corpus, *Bf.37d cuius corporis caput est caritas, ut dicit Hugo, in principio *Didascalicon* [1].

Primum latus [a].

Primo ergo requiritur Dei cultus, et iste est latus huius civitatis ad Orientem, ubi est origo luminis et caloris, unde etiam omnis influentia procedit. « Ad perfectum autem cultum Dei tria

[a] A om.

[1] Ibi nihil de hoc legitur in editis (PL 176, 741 sq.).

sunt necessaria, scilicet aeternae veritatis veridica professio, supernae maiestatis humilis veneratio, internae sanctitatis virilis custoditio [1] ».

Iudas [a].

Primo ergo requiritur aeternae veritatis veridica professio, et hoc signatur in tribu Iuda. Iudas enim interpretatur '*confitens*' vel '*glorificans*', quia mater, cum hunc filium peperit, **Aj.112d* ait, Gen. * 29, 35: *Modo confitebor Domino.*

Et iste est primus filius spiritualis, sicut fides est prima illuminatio mentis ad cognoscendum Deum, ut dicit Augustinus [2], et « totius spiritualis aedificii primarium fundamentum [3] ». Primum enim quod [b] requiritur est ut sit perfecta credulitas in corde et veridica in ore confessio, iuxta illud Apostoli, Rom. 10, 10: *Corde creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem*, et ad Hebr. 11, 1: *Fides est sperandarum substantia rerum, argumentum non apparen-*

[a] A om. [b] A om.

[1] S. Bonav., *In Hexaem.*, coll. XXIII, n. 15. [2] Cf. Epist. 120, alias 122, c. 1-4, n. 3-18 (PL 33, 453 sq.); Alex. Hal., *Summa theol.*, III, q. 68, m. 5, a. 1; S. Bonav., *III Sent.*, d. 23, dub. 1. [3] S. Bonav., *II Sent.*, d. 43, a. 2, q. 1, *ad 5.*

tium. Et quia per hanc virtutem generantur filii Dei in Ecclesia, iuxta illud Ioan. 1, 12-13: *Dedit illis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine eius, qui non ex sanguinibus neque ex voluntate carnis, sed ex Deo nati sunt,* Filius Dei ex hac tribu secundum carnem nasci voluit; unde Iacob, hunc filium benedicens, ait, Gen. 49, 8-10: *Iuda, te laudabunt fratres tui, adorabunt te* [a] *filii patris tui; non auferetur sceptrum de Iuda nec dux de femore eius, donec veniat qui * mittendus est, et ipse erit exspec-* Bf.38a *tatio Gentium.*

Propter quod et Thamar, cum plures viros habuisset, ex nullo concipere potuit, sed cum mutato habitu huic Iudae copulata esset, mox concepit et peperit gemellos, quia *omnes gemellis fetibus et sterilis non est in eis,* Cant. 4, 2, accipiens in munere *anulum, baculum et armillam,* ut dicitur Gen. 38, 18. Haec est illa Thamar, quae in genealogia ponitur Salvatoris, Matt. 1, 3, quae interpretatur '*commutata*' et significat Ecclesiam, quae, cum esset *sterilis,* fidem * Christi accipiens *peperit pluri-* * Af.113a *mos,* quando synagoga, *quae multos habebat filios,* Christum respuens *est infirmata* [1], quia

[a] B om.

[1] I Reg. 2, 5.

non concipit nisi de viro, idest de Christo Deo et homine, cuius haec sunt, scilicet *anulus, baculus et armilla,* in quibus articuli divinitatis et humanitatis Christi intelliguntur, vel in anulo fides, in baculo spes, in armilla caritas intelligitur. Iste, inquam, *ligat ad vineam,* idest ad Ecclesiam, *pullum suum,* idest divinitatem suam, *et ad vitem,* idest ad quemlibet fidelem in Ecclesia, *asinam suam* [1], idest humanitatem suam, quia *vinea Domini exercituum domus Israel est et viri Iuda delectabile germen eius,* ut dicitur Isai. 5, 7.

Haec etiam virtus fecit martyres *lavare in vino stolam suam et in sanguine uvae pallium suum;* cuius sunt *oculi,* scilicet intellectus et affectus, qui sunt duo oculi sponsae, *pulciores vino,* idest spirituali, forti, solida et defaecata [a] intelligentia Scripturarum: vino enim potantur magni et fortes; *et dentes eius,* quibus scilicet infirmis, parvulis et debilibus cibum masticant, *lacte candidiores* [2], quia lacte potantur
Bf.38b parvuli et debiles, qui solidum [b] cibum masticare non possunt: *quia qui* [c] *lactis est particeps parvulus est, perfectorum autem est solidus cibus, qui habent sensus exercitatos,* ait Apostolus,

[a] A *defracta.* [b] A om. [c] A om.

[1] Gen. 49, 11. [2] Gen. 49, 11.

Hebr. 5, 13-14; et I Cor. 3, 1-2 dicit: *Tamquam parvulis in Christo lac vobis potum dedi, non escam: nondum enim poteratis.* Unde Thren. 4, 7, dicitur: *Candidiores Nazaraei eius nive, nitidiores lacte, rubicundiores ebore antiquo, sapphiro * pulcriores.* *Af. 113b

Haec est etiam virtus, quae omnia impetrat quae postulantur. Unde Dominus, Marc. 11, 24: *Omnia quae orantes petitis, credite quia accipietis et venient[a] vobis;* et Iac. 1, 6 dicitur: *Postulet autem in fide nihil haesitans.* Propter quod Moyses benedicens hunc Iudam ait, Deut. 33, 7: *Audi, Domine, vocem Iudae et ad populum suum introduc eum;* quasi dicat, ut quod credit fide cernat in specie. Et sequitur: *Manus eius pugnabunt pro eo, et adiutor eius contra adversarios illius erit,* scilicet Deus. Quia per hanc virtutem omnia adversa superantur, iuxta illud I Ioan. 5, 4: *Haec est victoria, quae vincit mundum, fides nostra;* et Paulus, Ephes. 6, 16, ait: *In omnibus sumentes scutum fidei, in quo possitis omnia tela nequissimi ignea extinguere;* et Apoc. 5, 5, dicitur: *Vicit leo de tribu Iuda.* Et Iacob ait[1]: *Catulus leonis Iudas; ad praedam, fili mi, ascendisti; requiescens accubuisti ut leo:*

[a] A *veniet.*

[1] Gen. 49, 9.

quis suscitabit eum? Et intelligitur de resurrectione Christi: « Leo enim nascitur mortuus, sed die tertia voce patris resuscitatur »; ita dicitur in Glossa [1] super illud Apoc. 4, 7: *Animal primum simile leoni.*

Et ideo primum fundamentum huius civitatis est iaspis, qui est viridis coloris, significans « immarcescibilem fidei virorem », et valet contra phantasmata, ut dicitur in Glossa [2] Apoc. *Bf.38c*21, 11. *

Ruben [a].

« Secundo requiritur supernae maiestatis humilis veneratio, et hoc fit considerando proprii sceleris immanitatem et divinae [b] severitatis *Af.113c*immensitatem » [3]. Et hoc * signatur in tribu Ruben, in cuius partu mater ait, Gen. 29, 32: *Vidit Dominus humilitatem meam;* unde Ruben interpretatur '*filius visionis*'.

Unde Richardus ait, in *Beniamin* [4], de Ruben: « Qui talem filium habere desiderat, mala quae fecit non solum frequenter, sed et dili-

[a] A om. [b] A *diem.*

[1] In h. l., ap. Lyran. (ed. cit., p. 247r). [2] In h. l., ap. Lyran. (ed. cit., p. 273r). Cf. Hugo de S. V., *De bestiis et aliis rebus,* III, c. 58 (PL 177, 115 sq.). [3] S. Bonav., *In Hexaem.*, XXIII, n. 17. [4] Cap. 8 (PL 196, 6 sq.).

genter attendat, hinc magnitudinem sui sceleris, illinc potentiam iudicantis. Ex tali consideratione timor nascitur, scilicet filius ille, qui Ruben iure, hoc est '*visionis filius*'[a], vocatur: quodammodo et caecus est et minime videt qui peccare non timet, qui futura mala non praevidet, qui non erubescit pravitatem suam, qui non expavescit potentiam divinam ». Haec Richardus. Ex hac autem consideratione generatur timor et dolor, dolor[b] de commisso, timor de supplicio.

Iste enim est Ruben, qui scidit vestimenta sua et ait: *Puer non comparet, et ego quo ibo?* Gen. 37, 30. Iste est, qui fratres suos redarguit de venditione Ioseph dicens: *Numquid non dixi vobis: nolite peccare in puerum? et non audistis me; en sanguis eius*[c] *exquiritur.* Gen. 42, 22. Iste est, qui mandragoras colligit, quas etiam Rachel, anima scilicet contemplativa, concupiscit, Gen. 30, 14; mandragorae autem odoriferae sunt, sed tamen insipidae. Et ideo Iacob hunc filium benedicens ait, Gen. 49, 3: *Ruben, primogenitus meus, tu fortitudo mea, principium doloris mei,* quasi dicat: Usque ad te ignoravi dolorem; vel secundum aliam litteram [1]: *Prin-*

[a] A *filii.* [b] A om. [c] B om.

[1] I. e. secundum chaldaicam Paraphrasim, quae legit potius *principium fortitudinis meae.*

cipium sollicitudinis meae, effusus es sicut aqua,
*Af.113d *non crescas.* *

Unde Richardus, in *Beniamin* [1]: « Iste est timor ille, sine quo mens de peccato quantumlibet
*Bf.38d *parvo non libera-*tur; sine enim timore mala nostra nunquam deserimus nec bona operari valemus. Recte ergo *primogenitus* dicitur, a quo omne bonum principium sumit; unde scriptum est [2]: *Initium sapientiae timor Domini. Fortitudo* dicitur, quia per timorem Domini cor contra concupiscentias roboratur. Quis enim concupiscentiarum suarum exercitum debellavit, si sine timore pugnavit? *Principium doloris,* quia timorem Domini dolor utilis comitatur. Ut enim dolor animi cuicumque [a] sit et sibi utilis existat, necesse est ut eum timor Domini praecedat ». Sequitur autem et dicit: « *Prior in donis, maior in imperio* [3]. Hoc est donum singulare, hoc est donum illud [b] principale et primum, quod primogenito Ruben tribuitur, quia absque dubio per timorem Domini voluntas mala in bonam commutatur. Inter omnia autem dona quae ad salutem hominis spectare videntur, primum et principale donum bona voluntas esse cognoscitur. Quidquid homo agat, bonum esse

[a] A *cuique,* B corr. [b] A *illud donum.*

[1] Cap. 61-65 (PL 196, 45sq.). [2] Eccli. 1, 16.
[3] Gen. 49, 3.

non [a] poterit nisi ex bona voluntate procedat. Primum ergo donum, quia a bona voluntate bonum omne inchoatur; principale, quia bona voluntate utilius hominibus nihil datur. *Maior* autem *in* [b] *imperio*, quia imperium suum prae ceteris latius extendit: quaedam enim amamus, quaedam odio habemus, et pro utrisque timere solemus, dum saepe ista amittere, illa formidamus incurrere ». Huc usque Richardus.

Hic enim dolor, qui ex isto timore procedit, facit aquas lacrimarum cordis et corporis largi-*ter [c] fundere, Thren. 2, 19: *Consurge, lauda* *Af.114a* *in nocte, in principio vigiliarum, effunde sicut aquam cor tuum ante conspectum Domini.* Et ex hoc nascitur [d] confidentia de Dei misericordia consequenda, aliter homo in desperationem caderet nisi hac spe confirmaretur et finem poneret dolori; ideo dicit: *Tu, fortitudo mea.* * Ponit* *Bf.39a* etiam finem peccatis, ut ultra peccare non audeat; ideo dicit: *Non crescas,* vel secundum aliam litteram [1]: *Non ebullias, quia ascendisti cubile patris tui et maculasti stratum eius.* Quasi dicat: *Fili, peccasti, non adicias iterum, sed de pristinis deprecare, ut tibi dimittantur,* ut dicitur Eccli. 21, 1. Propter quod etiam Moyses benedicens hunc ait, Deut. 33, 6: *Vivat Ruben, et non*

[a] A om. [b] B om. [c] A *lartur.* [d] A *nasci.*

[1] I. e. secundum Septuaginta, qui habent *non effervescas.*

moriatur, et sit parvus in numero; quasi dicat, sicut dicit Augustinus[1]: « Doleat peccator et continue doleat et de dolore gaudeat, et non diu se doluisse doleat et diu se doluisse gaudeat »; et hoc est: *Vivat et non moriatur,* ut semper doleat simul et gaudeat, ne abundantiori tristitia absorbeatur. Sed *sit parvus in*[a] *numero,* idest ne peccata multiplicentur et ne perveniat in desperationem.

Iuxta quod et secundum fundamentum istius civitatis est sapphirus similitudinem habens caeli sereni, qui etiam percussus radiis solis ardentem emittit fulgorem, et « signat altitudinem spei sanctorum, *quorum conversatio in caelis est* », ut dicit Glossa[2] Apoc. 21, 19. Hic etiam lapis daemones fugat, timorem aufert, carceres frangit et vincula solvit et inimicis re-
* *Af. 114b* conciliat, ut * dicitur in *Lapidario*[3].

Gad[b].

« Tertio requiritur internae sanctitatis virilis custoditio[4] ». Ista autem est proprie munditia cordis, quae facit Deum videre; et haec

[a] A om. [b] A om.

[1] *De vera et falsa poenitentia,* c. 13, n. 18 (PL 40, 1124). [2] In h. l., ap. Lyran. (ed. cit., p. 273r). Cf. Hugo de S. V., l. c. (PL 177, 116). [3] Cf. Marbodus, *Liber lapidum,* 5 (PL 171, 1743sq.). [4] S. Bonav., *In Hexaem.*, coll. XXIII, n. 18.

signatur in tribu Gad, in cuius ortu dictum est[a]: *Feliciter*, Gen. 30, 11. Unde Richardus, in *Beniamin* [1], per Gad dicit rigorem abstinentiae debere intelligi: quia « unde corpus atteritur, conscientia exhilaratur, et quo exterius videtur infelicior, eo interius constat esse felicior. Nec solum illam abstinentiam, * quae in cibo et potu est, intelligere debemus, sed omnis superfluae dilectionis eorum, quae per quinque sensus carnem delectant, abstinentiam per Gad intelligere debemus ». Haec Richardus. *Bf.39b

Haec autem munditia cordis custodiri habet per restrictionem omnium defluxionum; unde Gad interpretatur '*accinctus*' vel 'succinctus' sive '*feliciter*'. Hoc est enim unum de his quae feliciter gradiuntur, scilicet *gallus succinctus lumbos*, ut dicitur Prov. 30, 31. Ad quod nos hortatur Apostolus, Ephes. 6, 14: *State succincti lumbos mentis vestrae in veritate*, et Dominus, Luc. 12, 35: *Sint lumbi vestri praecincti*, et Iob 40, 2: *Accinge sicut vir lumbos tuos*, et de forti muliere dicitur Prov. ultimo, 17: *Accinxit fortitudine lumbos suos*. Et ideo hunc filium benedicens Iacob ait, Gen. 49, 19: *Gad accinctus praeliabitur*. Quia enim *thesaurus iste in vasis fictilibus* habetur [2], de facili perditur, nisi homo super cu-

[a] A om.

[1] Cap. 26 (PL 196, 18sq.). [2] II Cor. 4, 7.

stodiam suam stans, contra mundum, carnem et daemonia, quae diversa movent praelia, viriliter accingatur et continue praelietur, in se et
*Af.114c de se *faciens iudicium et iustitiam* [1], donec * super haec obtineat principatum et feliciter requiescat. Propter quod et Moyses hunc benedicens ait, Deut. 33, 20-21: *Benedictus in latitudine Gad, quasi leo requievit, vidit principatum suum quod in parte sua esset repositus, et fecit iustitias Domini et iudicium suum.* Richardus etiam, in *Beniamin,* ait [2]: « Gad proculdubio tunc se accingit, quando sensuum dissolutionem per disciplinam restringit; tunc forti praelio dimicat, quando desideria carnis per carnis mortificationem trucidat ». Haec Richardus.

Unde et tertium fundamentum istius civitatis est chalcedonius, qui « omnium sculpentium argumentis resistit » nec cedit, ut dicitur in Glossa [3] Apoc. 21, 19. Hic etiam lapis victoriam in causis suo creditur conferre vectori, ut dicitur in *Lapidario* [4].

Secundum latus [a].

*Bf.39c * « Non sufficit autem Dei cultus nisi sit cum Deo indissolubilis nexus, quia caritas facit Deum

[a] A om. *S. l.*

[1] Psam. 118, 121. [2] Cap. 32 (PL 196, 22). [3] In h. l., ap. Lyran. (ed. cit. p. 273r). Cf. Hugo de S. V., l. c. (PL 177, 116). [4] Cf. Marbodus, l. c., 6 (PL 171, 1744).

colere et amare »; et ideo hoc est secundum latus quod requiritur ad huius civitatis constructionem tamquam latus ex parte meridionali sive australi, unde venit Auster, calidus ventus qui facit *aromata fluere*, ut dicitur Cant. 4, 16. Ad perfectum autem nexum cum Deo, qui per caritatem habet fieri, tria sunt necessaria, scilicet quod anima suprema appetat, infima contemnat, in medio dilatetur, « hoc est sempiternae beatitudinis appetitus praecipuus, fraternae dilectionis affectus dilatatus, mundanae prosperitatis contemptus perfectivus [1] ».

Aser [a].

Primo ergo requiritur beatitudinis appe-*ti-* *A f. 114d*
tus; et hic signatur in tribu Aser, in cuius ortu ait mater [b] Lia, Gen. 30, 13: *Hoc pro beatitudine mea, beatam quippe me dicent mulieres.* Beatus autem est, qui in beatitudinem summo amore transfertur. Unde Aser interpretatur '*beatus*' sive '*pinguis*'; qui enim beatus est, nisi pinguis esse non potest, Ierem. 31, 14: *Inebriabo animam sacerdotum pinguedine et populus meus bonis meis adimplebitur.* Unde Iacob hunc

[a] A om. [b] A om.

[1] S. Bonav., *In Hexaem.*, coll. XXIII, n. 19.

benedicens ait, Gen. 49, 20: *Aser, pinguis panis eius et praebebit delicias regibus.*

Panis pinguis est ille panis sapidissimus angelorum, *habens in se omne delectamentum et omnis saporis suavitatem* [1]; de quo Isai. 30, 23: *Panis uberrimus et pinguis.* Iste est panis ille vitae, de quo qui in regno caelorum comederit, delitiis sine dubio affluet, quia *beatus* est *qui manducat panem in regno* caelorum, Luc. 14, 15. In eius significationem manna, quod de caelo descendit, habebat *saporem quasi panis oleati,* idest pinguis, ut dicitur Num. 11, 8. Hoc est illud *manna absconditum, quod nemo scit nisi qui accipit,* Apoc. 2, 17, absconditum, inquam,
Bf.39d * et nisi gustantibus omnino ignotum; est enim dulcedo cordis, non carnis, quia *nec oculus vidit nec auris audivit nec in cor hominis ascendit, quae praeparavit Deus his qui diligunt eum,* I Cor. 2, 9. Haec est enim maxima illa *multitudo dulcedinis, quam* Deus *abscondit timentibus* se, ut dicitur in Psalmo [2]. *Panis* enim *absconditus suavior* est, ut dicitur Prov. 9, 17. Et ideo qui de hoc pane edunt, semper comedunt et semper esuriunt,
Af.115a semper satiantur * et nunquam fastidiunt, sed semper eius desiderio trahuntur et admiratione suspenduntur, Eccli. 24, 27: *Spiritus meus super*

[1] Sap. 16, 20. [2] Psalm. 30, 20.

mel dulcis; et[a] sequitur: *Qui edunt me, adhuc esurient.* Et Eccli. 42, 26: *Quis satiabitur videns gloriam eius?* et tamen David dicit[1]: *Satiabor, cum apparuerit gloria tua.* Et inde est quod manna nomen accepit, quod interpretatur *'Quid est hoc'*! vel *'Quomodo est hoc'*! quia semper comedunt et admirative dicunt: Quid est hoc! vel: Quomodo est hoc! Iste, inquam, est panis illis regibus delitiosus[2], quibus *rex* ille *regum et dominus dominantium*[3] distribuit regnum Patris sui: *Ut edatis,* inquit, *et bibatis super mensam meam in regno meo,* quia *vos estis qui permansistis mecum in tentationibus meis, et ego dispono vobis sicut disposuit mihi Pater meus regnum,* Luc. 22, 28-30.

Moyses etiam hunc benedicens ait, Deut. 33, 24-25: *Benedictus Aser in filiis suis, sit placens fratribus suis, tingat in oleo pedem suum, ferrum et aes calceamentum eius; sicut dies iuventutis tuae, ita et senectus tua.* Ubi ostendit quod in illa beatitudine est laetitia delitiosa in multitudine filiorum, caritas perfecta in complacentia fratrum, affectio iucunda nec vana, sed firma et stabilis, quia oleo tingitur, ferro et aere calceatur, vita perpetua * et impermutabilis, quia sicut iuventus eius, ita et senectus[b]. *Bf. 40a

[a] A om. [b] B add. *tua.*

[1] Psalm. 16, 15. [2] Gen. 49, 20. [3] I Tim. 6, 15.

Merito ergo est appetenda et toto corde desideranda.

Unde et quartum fundamentum huius civitatis est smaragdus, cuius viror omnium aliarum quarumcumque rerum virores excellit, cuius
Af. 115b virtus lascivos et libidinosos * motus mirabiliter reprimit fluxumque carnis omnino restringit, aspectusque eius sua mulcedine oculos mirabiliter recreat [1].

Nephtali [a].

Secundo ad perfectum nexum requiritur fraternae dilectionis affectus dilatatus; et hic signatur in tribu Nephtali, in cuius ortu ait Rachel, Gen. 30, 8: *Comparavit me Deus cum sorore mea, et invalui.*

Per duas sorores Rachelem et Liam vitas duas intellige, quarum una est in labore actionis, et haec significata est per Liam, quae interpretatur '*laboriosa*', altera in mercede contemplationis, et haec significatur per Rachelem, quae interpretatur '*visio*' vel '*videns Deum*'. Hae autem si ad invicem comparantur, melior

[a] A om.

[1] Cf. Marbodus, l. c., 7 (PL 171, 1744sq.); Hugo de S. V., l. c. (PL 177, 116).

illa dignoscitur, quae magis pollet caritate. Quia ergo Rachel super Liam abundat caritate — unde Iacob amorem sequentis priori praetulit, Gen. 29, 30, sicut Maria quae *optimam partem elegit, quae non auferetur ab ea* [1], super Martham quae frequenter [a] in « *cura et sollicitudine* [b] » perturbatur, « *conturbatio* vero *in se et in aliis impedit caritatem* [2] » — recte hunc filium sumens, qui caritatem signat, dicit [3]: *Comparavit me Deus cum sorore mea, et invalui.* Omnis enim valor operis spiritualis a caritate est; interpretatur enim Nephtali '*latitudo*'; *latum* autem *mandatum* [4] caritatis omnes circumplectitur, non solum parentes, consanguineos, affines, vicinos et amicos, sed extraneos, remotos, persecutores et inimicos. * Iste enim est* *Bf.40b* qui *pro persequentibus et calumniantibus orat* [5], iste est qui omnium salutem procurat * verbo* *Af.115c* praedicationis et studio orationis. Ideo hunc benedicens Iacob ait, Gen. 49, 21: *Nephtali, cervus emissus, dans eloquia pulchritudinis.*

Per *emissum cervum* praedicatorem intelligit, cuius *anima ad* Deum *desiderat* properare sicut *cervus ad fontes aquarum* [6]; fraterna tamen ca-

[a] A om. [b] A add. *frequenter.*

[1] Luc. 10, 42. [2] S. Franciscus, *Reg. II*, c. 10 et 7. [3] Gen. 30, 8. [4] Psalm. 118, 96. [5] Matt. 5, 44. [6] Psalm. 41, 2.

ritate tractus in carne vult permanere, sicut apostolus Paulus, qui *cupiebat dissolvi et esse cum Christo, necessarium* tamen credebat esse *in carne propter* aliorum salutem, ut dicit Philipp. 1, 23-24. Hi etiam iuxta cervi proprietatem spiritu narium de cavernis venenatos serpentes trahunt, cum *spiritu labiorum suorum interficiunt impium* [1], idest convertunt, ut non sit impius, sed pius, iuxta illud Prov. 12, 7: *Verte impios et non erunt*, dum *manus mittunt in cavernas reguli et in foramina aspidis* ut omnino nocere non possint, *quia replent terram scientia Domini*, ut dicitur Isai. 11, 8-9. Unde Gregorius [2]: « Bene cervis doctores assimilantur, qui more cervorum, interemptis vitiis quasi extinctis serpentibus, vivunt et inde acrius ad fontem vitae inardescunt; unde Psalmus [3]: *Sicut desiderat cervus ad fontes aquarum* ». Haec Gregorius. *Emissus* autem dicitur, quia non *praedicabunt nisi mittantur*, ait Apostolus, Rom. 10, 15. Et ut ait Richardus, in *Beniamin* [4]: « Nephtali per rerum visibilium formam surgit ad rerum invisibilium intelligentiam. Ad Nephtalim namque pertinet per considerationem praemiorum inflammare bona desideria; quod et facit quotiens aeternorum bonorum imaginem

[1] Isai. 11, 4. [2] *Moral.*, XXX, c. 10, n. 36 (PL 76, 544).
[3] Psalm. 41, 2. [4] Cap. 22 et 23 (PL 196, 15 sq.).

ante mentis * oculos adducit, et ideo recte '*com-* *Af. 115d*
paratio' vel '*conversio*' interpretatur. Solet namque cognitam quamlibet visibilium naturam convertere ad spiritualem intelligentiam et in his assidue comparatione utitur. Est etiam Nephtali promptior in meditatione * et affabilior in ser-* *Bf. 40c*
mone: *cervus* enim dicitur propter currendi facilitatem, *emissus* propter currendi aviditatem; cervus multum currere potest et multum currere appetit, qui emissus est ». Haec Richardus.

Dans eloquia pulchritudinis, idest omnis munditiae et sanctitatis, qui « dulcedine eloquii sui paene absque mora animas auditorum quo vult inclinat », ait Richardus, in *Beniamin* [1], quia *eloquia Domini casta, argentum igne examinatum,* ut dicitur in Psalmo [2]. Super quo Hieronymus ait [3]: « Tunc *casta* sunt *eloquia Domini,* si a bonis praedicatoribus incorruptibiliter et sine corruptione praedicentur; tunc erit istud, si quando praedicant, non parentum provocati amore, non potentum timore, non propter dona praesentia, non pro honore vano ». Haec Hieronymus. Debent enim esse « *examinata et casta eorum eloquia* [4] », absque omni scilicet

[1] Cap. 33 (PL 196, 23). [2] Psalm. 11, 7. [3] *Breviar. in Psalmos,* Psalm. 11 (PL 26, 848). [4] S. Franciscus, *Reg. II,* c. 9.

pollutione et foeditate in moribus, sicut apostoli Pauli praedicatio, de qua dicit II Cor. 2, 17: *Non sumus sicut plurimi adulterantes verbum Dei, sed ex sinceritate, sicut ex Deo, coram Deo, in Christo loquimur.* Unde Prov. 3, 17, de sapientia dicitur: *Viae eius viae pulchrae,* et Prov. 15, 26: *Purus sermo et pulcherrimus firmabitur ab eo.* Et Augustinus, *Super epistolam Ioannis,* sermone IX [1]: « Quantum in te crescit amor, [tantum] crescit pulchritudo, quia
Af. 116a ipsa caritas est * animae pulchritudo ». Haec Augustinus. Et bene in hoc caritas signatur fraterna, quia « qui caritatem erga alterum non habet, praedicationis officium suscipere nullatenus debet », prout ait Gregorius, homilia *Evangeliorum* 35 [2].

Hunc etiam benedicens Moyses ait, Deut. 33, 23: *Nephtali abundantia perfruetur et plenus erit benedictione Domini, mare et meridiem possidebit. Abundantia,* inquit, *perfruetur,* quia *euntes,* inquit [a], *ibant et flebant mittentes semina sua; semen* autem *est verbum Dei,* et ideo ve-
Bf. 40d nientes *venient cum * exsultatione portantes manipulos suos* [3]. *Benedictione Domini plenus erit,* quia, ut dicit Sapiens, Prov. 11, 26: *Qui ab-*

[a] A om.

[1] Num. 9 (PL 35, 2051). [2] Hom. 17, n. 1 (PL 76, 1139).
[3] Luc. 8, 11; Psalm. 125, 6.

scondit frumenta, maledicetur in populis, benedictio autem super caput vendentium; quod vere intelligitur de *servo fideli et prudente, quem constituit Dominus super familiam suam ut det illis in tempore tritici mensuram* [1]. Et Eccli. 31, 28: *Splendidum in panibus benedicent labia multorum et testimonium veritatis illius fidele.* Hic *mare et meridiem possidet,* quia fluctus tentationum sicco vestigio calcans *ab incursu* liberatur *et daemonio meridiano* [2].

Et ideo quintum fundamentum istius civitatis est sardonyx, qui est « tricolor: niger in imo, candidus in medio, rubeus in summo », ut dicitur in Glossa [3] Apoc. 21, 20. Et signat veram caritatem, quae ordinat hominem quantum ad suum inferius, ad suum superius et ad suum interius. * Vel signat etiam praedicatorem, * *Af. 116b* qui debet esse niger in imo, idest despectus per profundam humilitatem — iuxta quod dicit sponsa, Cant. 1, 5: *Nigra sum, sed formosa,* et infra: *Nolite me considerare quod fusca sim, quia decoloravit me sol* — debet esse candidus interius, idest mundus et purus per illibatam castitatem, rubicundus superius, idest amore Dei fervidus et zelo martyrii accensus, ut Christus de eo dicere possit illud, Cant. 5, 10: *Di-*

[1] Luc. 12, 42. [2] Psalm. 90, 6. [3] In h. l., ap. Lyran. (ed. cit., p. 273r). Cf. Hugo de S. V., l. c. (PL 177, 117).

lectus meus candidus et rubicundus. Hic etiam lapis dicitur facere hominem vultu [a] humilem, honestum et castum, ut dicitur in *Lapidario* [1].

Manasses [b].

Tertio, quia perfectum nexum cum Deo habere non potest qui est privati boni amator, requiritur quod sit mundanae prosperitatis contemptus perfectivus; et hoc signatur in tribu Manasse, in cuius ortu ait pater, Gen. 41, 51: *Oblivisci me fecit Deus laborum meorum et domus* [c] *patris mei*, idest laborum illorum quibus frustra laboraverat in temporalibus et pro tem-
*Bf.41a poralibus et fraudaverat * animam suam bonis spiritualibus et domum patris sui, iuxta illud Psalmi [2]: *Obliviscere populum tuum et domum patris tui;* quia, ut Augustinus ait [3], « minus te amat, Domine, qui tecum aliquid amat quod non propter [te] amat ». Unde Manasses interpretatur *'obliviscens'*.

« Aliqui enim sunt qui despiciunt mundialia, sed non deserunt; alii deserunt, sed non despi-
*Af.116c ciunt; alii des-*piciunt et deserunt, sed non obliviscuntur. Qui ergo deserit, despicit et obli-

[a] A *vultum*. [b] A om. [c] AB *domum*.

[1] Cf. Marbodus, l. c., 8 (PL 171, 1746). [2] Psalm. 44, 11.
[3] *Confess.*, X, c. 29, n. 40 (PL 32, 796).

viscitur, hic perfectus est vir [1] ». Iste est tertius gradus, in quo sunt « virtutes purgati animi, ubi actus temperantiae est terrenas cupiditates non reprimere, sed penitus oblivisci », sicut recitat Macrobius[a] in primo libro suo [2] Plotinum dixisse in libro suo *De virtutibus*. Ideo non sine mysterio hic Manasses, qui fuit filius Ioseph, undecimi filii Iacob, ponitur sexto loco [3]: « Senarius est primus numerus perfectus », constans ex omnibus partibus suis aliquotis.

Unde et sextum fundamentum huius civitatis est sardius, qui habet colorem sanguinis sive rubeae terrae, et signat illos, qui « sublimes facti mente, eis est *mundus crucifixus et* ipsi *mundo* [4], fragilitatis tamen memores, quia filii Adae, qui de rubra terra factus est sexta die », de terra solum sustentari requirunt, ut dicit Glossa [5] Apoc. 21, 20.

Tertium latus [b].

« Tertio requiritur secundum Deum fervidus zelus, ut sic caritas diligat quod omne malum

---

[a] A *Macobrius*, B *Machobius*. [b] A om. *T. l.*

[1] S. Bonav., *In Hexaem.*, coll. XXIII, n. 22. [2] *In somnium Scipionis*, I, c. 8. Cf. Plotinus, *Enneadae I*, lib. 2 (ed. Basileae 1580, pag. 13, n. 3sq.). [3] S. Bonav., *Brevil.*, VI, c. 12, n. 4 (V, 278b). [4] Gal. 6, 14. [5] In h. l., ap. Lyran. (ed. cit. p. 273r).

repellat », ut sit haec civitas munita ex parte aquilonari, quia *ab Aquilone,* ubi Lucifer regnum tenet, *pandetur malum,* ut dicitur Ierem. 1, 14.

* *A f. 116d* Istum autem zelum debet * pietas praecedere et patientia sequi, quia sine istis non esset zelus meritorius, sed furor damnosus; et ideo ad hunc zelum tria sunt necessaria, « scilicet benignae miserationis affectuosa condescensio, se-

* *B f. 41b* verae districtionis aemulatoria rectitudo, * acerbae vel mundanae tribulationis victoriosa perpessio ».

Simeon [a].

Primo ergo requiritur benignae miserationis affectuosa condescensio. Et haec signatur in tribu Simeon, in cuius ortu Lia mater eius ait, Gen. 29, 33: *Quoniam audivit Dominus haberi me contemptui, dedit etiam istum mihi.* Unde « Simeon interpretatur '*audiens moerorem*' et signat miserationem et compassionem ad proximum ».

« Iste est *Simeon iustus et timoratus* [1] Christum Iesum adhuc puerulum inter brachia sua recipiens: nisi enim homo sit pius et misericors,

[a] A om.

[1] Luc. 2, 25.

non est dignus Illum recipere, qui propter misericordiam descendit de caelo [1] », qui etiam dicit [2]: *Misericordiam volo et non sacrificium ;* quia « per sacrificium iustus commendatur, per misericordiam redimitur », prout ait Ambrosius, in libro *De paradiso* [3]. Pueri etiam libenter volunt in brachiis portari ab illis dumtaxat, qui dulciter eos contrectant [a]; et ideo Filius Dei, qui *puer natus est nobis* [4], ab illis solum portatur, qui pie, dulciter et misericorditer eius membra contrectant: membra autem Christi sunt omnes fideles in Ecclesia. Unde Augustinus, *Super epistolam Ioannis,* sermone X [5]: « Sursum * ho-* *Af.117a*
noras, deorsum calcas; plus dolet quod calcas quam gaudet quod honoras, quia et quem honoras dolet pro his quos calcas; quomodo clamat lingua mea: Dolet mihi? non dicit: Dolet pedi meo, sed mihi. O lingua, quis te [b] tetigit? quis te percussit? quis [c] stimulavit? quis pupugit? Nemo, inquit, sed coniuncta sum his quae calcantur; quomodo vis ne doleam, quando non sum separata? Sic Christus caput pro membris suis ». Huc usque Augustinus.

---

[a] B *contractant.* [b] B om. [c] B *qui.*

---

[1] S. Bonav., *In Hexaem.*, coll. XXIII, n. 23 et 24. [2] Osee, 6, 6. [3] Potius *De poenitentia,* I, c. 12, n. 54 (PL 16, 483). [4] Isai. 9, 6. [5] Num. 8 (PL 35, 2060).

Et quia ista pietas et misericordia habenda est interius et exterius, in corde et in opere, ubi est opportunitas, dicit Christus, Cant. 8, 6: *Pone me* [a] *ut signum super cor tuum et quasi signaculum super brachium tuum.* Unde 'misericordia' dicitur quasi *mi*ttens *se*orsum *ri*gorem
*Bf. 41c *cor*dis vel quasi *mi*ra *sua*vitate * *ri*gans *cor*da; Eccli. 7, 38: *Non desis plorantibus in consolationem* [b] *et cum lugentibus ambula.*

Potest etiam verbum illud intelligi quantum ad opera misericordiae, spiritualia et corporalia, quae in his versibus continentur:

Instrue, castiga, remitte, solare, fer, ora;

haec enim sunt opera misericordiae spiritualia, scilicet instruere ignorantes, castigare delinquentes, sed non mortificare, remittere in te peccantibus, consolare afflictos, ferre pestilentes, orare pro persequentibus. Corporalia sunt haec:

*Af. 117b *Visito, poto, cibo, redimo, tego,* * *colligo, condo;*

idest visitare infirmos, potare sitientes, cibare esurientes, redimere captivos, tegere nudos, colligere hospites, condere mortuos.

Unde et septimum fundamentum huius civitatis est chrysolithus habens similitudinem auri,

---

[a] A om. [b] A *consolatione.*

ut dicitur in Glossa [1] Apoc. 21, 20. Unde et nomen habet ab auro, quod est metallum maxime pretiosum quo omnia redimuntur, et signat misericordiam, quae inter omnia magis valet ad redimendum peccata, iuxta illud Dan. 4, 24: *Peccata tua eleemosynis redime et iniquitates tuas in* [a] *misericordiis pauperum,* et Prov. 15, 27: *Per misericordiam et fidem purgantur peccata,* et Dominus, Matt. 5, 7: *Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur;* super quo Augustinus, in I libro *De sermone in monte,* ait [2]: « Iustum est ut qui se a potentiore adiuvari vult, adiuvet ipse infirmiorem, in quo est ipse potentior ». Haec Augustinus. Hic etiam lapis omne genus serpentium fugat et daemones a vectore repellit; ita dicitur in *Lapidario* [3].

Levi [b].

Secundo, « quia misericordia sine rectitudine nihil valet », necessaria est severae districtionis aemulatoria rectitudo; et haec signatur in tribu Levi, in cuius ortu ait Lia mater, Gen. 29, 34:

[a] A om. [b] A om.

[1] In h. l., ap. Lyran. (ed. cit., p. 273r). Cf. Hugo de S. V., l. c. (PL 177, 117). [2] Num. 12 (PL 34, 1235). [3] Cf. Marbodus, l. c., 11 (PL 171, 1747).

*Af.117c*Nunc copulabitur mihi maritus * meus.* Ideo Levi interpretatur '*additus*'.

Bf.41d Hic propter zelum * accepit sacerdotium. Unde Moyses, cum esset *mitissimus hominum* [1], zelo Dei accensus tabulas confregit [2] volensque punire idolatras, ait, Exod. 32, 26-29: *Si quis est Domini, iungatur mihi,* idest qui zelum habet Dei. *Congregatique sunt ad illum omnes filii Levi. Quibus ait: Ponat vir gladium super femur suum, et occidat unusquisque fratrem et amicum et proximum* [a] *suum. Feceruntque filii Levi iuxta sermonem Moysi; et ait Moyses: Consecrastis hodie manus vestras Domino unusquisque in filio et fratre suo, ut detur vobis benedictio.* Et ideo hunc benedicens Moyses ait, Deut. 33, 9-10: *Levi dixit patri suo et matri suae: Nescio vos, et fratribus suis: Ignoro illos, et nescierunt filios suos; hi custodierunt eloquium tuum et pactum tuum servaverunt: iudicia tua, o* [b] *Iacob, et legem tuam, o Israel.* Non enim est sacerdotio dignus, qui non eodem iudicio iudicat consanguineos et alios, propinquos et remotos, suos et extraneos. Unde Bernardus dicit [3]: « Ita clemens esto in alienis delictis sicut in tuis,

[a] B *proximum et amicum* pro *e. a. e. p.* [b] A om.

[1] Num. 12. 3. [2] Cf. S. Bonav., *In Hexaem.*, coll. XXIII, n. 25. [3] *De interiori domo*, c. 25, n. 52 (PL 184, 534).

nec quemquam districtius quam te iudices; sic alios iudica, ut ipse iudicari cupis». Haec Bernardus. Propter quod et Heli, qui filios non bene corripuit, ipse cum filiis suis mortuus est et amotus a sacerdotio, ut dicitur I Reg. 4, 17, nec poterit *domus eius iniquitas* [a] *ex-*piari victimis et muneribus usque in aeternum,* ut dicitur I Reg. 3, 14. «Qui enim cogitur alios pro culpa percutere, amplius doleat quam cum cogitur pro eorum defensione puniri», prout ait [b] Richardus, in *Beniamin* [1]. Phinees etiam de tribu Levi, zelo *zelatus pro Deo suo, expiavit scelus filiorum Israel* et accepit propter hoc *pactum sacerdotii sempiterni,* ut dicitur Num. 25, 13. Hoc etiam modo Mathathias et filii eius zelo legis Dei acceperunt sacerdotium, ut patet per libros Machabaeorum. *Af.117d*

Iste autem filius '*ad-*ditus*' dicitur ad Simeo-*nem; Simeon enim non potest convenienter esse sine Levi: misericordia enim sine rectitudine enervat iustitiam. Et ideo cum omnes duodecim essent fratres, filii unius patris, de his tamen Iacob singulariter ait, Gen. 49, 5: *Simeon et Levi fratres.* *Bf.42a*

[a] B om. [b] B om.

[1] Cap. 42 (PL 196, 32).

Quod autem ibi sequitur: *Vasa iniquitatis bellantia*, non potest hic locum habere, quia vel intelligitur historialiter de ultione stupri quod soror eorum Dina passa est, ut dicitur Gen. 34, 2, vel intelligitur prophetice de morte Christi, quam qui de his nati sunt principaliter procurarunt; propter quod dicit: *In consilium eorum non veniat anima mea*, quasi dicat: Consilio eorum de Christo occidendo non consentio nec consentirem, si tunc viverem; *maledictus* enim *furor eorum, quia pertinax, et indignatio eorum, quia dura*[1]. Potest tamen hoc intelligi de his qui non zelo Dei vel legis, sed furore et indignatione corrigunt et fiunt vasa iniustitiae et iniquitatis, cum [a] deberent esse vasa iu-
* *Af.118a* stitiae et pietatis; * « malum enim in istis fuit iustae severitatis modum excedere et ulciscendo aequitatis mensuram minime servasse », ait Richardus, in *Beniamin*[2]. Et in eodem, alibi[3]: « Multi enim, quod absque dubio agunt in spiritu furoris, se agere arbitrantur zelo rectitudinis, et quae veraciter exiguntur odio hominum, exercere se putant vel simulant odio vitiorum »; et alibi[4]: « O quales bellatores, qui dum fortiter egisse videri volunt, pacis suae socios tam

[a] A *qui*.

[1] Gen. 49, 6-7. [2] Cap. 51 (PL 196, 40). [3] Cap. 41 (PL 196, 31). [4] Cap. 57 (PL 196, 42).

crudeliter quam violenter occidunt »! Haec Richardus. Quod frequenter accidit, cum quis [a] aliqua auctoritate accepta in superbiam elevatur; *pastores* enim nostri multum [b] a *vento pascuntur,* ut dicitur Ierem. 22, 22.

Hi sunt qui contra Moysen, idest legem Dei, audacter insurgunt, de sua iustitia et sanctitate praesumentes, quibus ait Moyses, Num. 16, 7: *Multum erigimini, filii Levi.* Hi sunt Nadab et Abiu, filii Aaron, qui *ignem alienum,* quod eis praeceptum non fuerat, *offerentes, mortui sunt coram Domino,* ut dicitur Levit. 10, 1-2, quia peccatores nesciunt blande corripere et pa-*tien-* *Bf. 42b
ter supportare, sed inordinato zelo exurere. Unde, *cum Moyses quaereret hircum qui pro peccato oblatus fuerat, exustum reperit,* ut dicitur ibidem; propter quod *iratus ait: Cur non comedistis hostiam pro peccato in loco sancto, quae data est vobis ut portetis iniquitatem multitudinis et rogetis pro ea in conspectu Domini* [1]? De quibus Gregorius, in *Pastorali,* ait [2] quod « asperitate semper rigidae in-*vectionis [c] pre- *Af. 118b
munt, nunquam clementer admonent, sed pastoralis mansuetudinis obliti, iure dominationis terrent; plus enim se suo auctore diligentes,

[a] B *aliquis.* [b] B *multo.* [c] A *inventionis.*

[1] Levit. 10, 16-17. [2] Part. II, c. 8, alias 19 (PL 77, 43).

iactanter se erga subditos erigunt nec quid agere debeant, sed quid valeant, attendunt ». Haec Gregorius. Unde Richardus, in *Beniamin,* ait [1]: « Numquid vel ipsi, qui aliorum culpas corripiunt, se ab omni peccati contagione penitus exuunt? Immo eos saepe, per quos Deus aliorum errata corrigere disponit, ex magnae pietatis dispensatione graviter cadere permittit, ut ex propria culpa discant quam misericordes in aliena correptione esse debeant ». Haec Richardus. Propter quod Eccli. 32, 1 dicitur: *Rectorem te posuerunt? noli extolli, esto in illis quasi unus ex ipsis.*

Isti sunt *vasa iniquitatis bellantia,* quia, ut dicitur Isai. 32, 7: *Fraudulenti vasa pessima sunt; ipse enim cogitationes concinnabit ad perdendos mites in sermone mendacii, cum loqueretur pauper iudicium.* Haec enim sunt *stulti pastoris vasa, qui derelicta non visitat, dispersa non quaerit, contritum non sanat et id quod stat non nutrit, sed carnes pinguium comedit et ungulas eorum dissolvit;* non est *pastor, sed est idolum derelinquens gregem,* ut dicitur Zach. 11, 15-17, *quia pastores eorum non parcebant eis,* dicitur ibidem [2]. *Stultus enim fatua loquetur* [a] *et cor eius*

[a] AB *loquitur.*

[1] Cap. 45 (PL 196, 33). [2] Zach. 11, 5.

*faciet iniquitatem, ut perfi-*ciat simulationem et* *Af.118c*
loquatur ad Dominum fraudulenter et vacuam faciat animam esurientis et potum sitienti auferat, dicitur Isai. 32, 6; sed *disperdet*[a] *Dominus virum qui fecerit hoc, magistrum et discipulum, de tabernaculis Iacob,* dicitur Malach. 2, 12. Propter quod et Iacob de istis ait, Gen. 49, 7: *Dividam eos in Iacob et disperdam eos in Israel.* * Cum autem *purgabit* Dominus *filios Levi,** *Bf.42c*
Malach. 3, 3, *non vocabitur ultra qui insipiens est princeps nec fraudulentus appellabitur maior,* quia *princeps quae digna sunt principe*[b] *cogitabit,* ut dicitur Isai. 32, 5-8. Propter quod virga, per quam correptio designatur, quae solum in domo Levi inventa est germinasse, iubetur reponi in arca Testamenti, ut dicitur Num. 17, 8-10, ut sit virga cum manna[c] dulcissimo sub propitiatorio, ut scilicet rigorem correptionis temperet dulcedo propitiationis.

Et ideo octavum fundamentum huius civitatis est beryllus, qui cum a sole respicitur « urit etiam manum tenentis », ut dicitur in Glossa[1] Apoc. 21, 20. Et signat praelatum qui, zelum Dei in se habens, sicut nec aliis ita nec sibi nec suis parcit. Hic etiam lapis eum, a quo

[a] AB *disperdat.* [b] AB *principi.* [c] B *magna.*

[1] In h. l., ap. Lyran. (ed. cit., p. 273v).

vehitur, extollit et magnificat, ut dicitur in *Lapidario* [1].

Issachar [a].

Tertio requiritur « acerbae vel mundanae tribulationis victoriosa perpessio. Qui enim alios corripit, debet se ad patientiam praeparare, exemplo Christi qui *mensas nummulariorum* * in zelo *subvertit*, ut dicitur Ioan. 2, 15, et postea quando quaerebant eum ad mortem, se exhibuit dicens, Ioan. 18, 4: *Quem quaeritis? ego sum.* Non enim est dubium quin illi, quorum mensas subvertit, clamabant: *Crucifige eum* [2] ». Et hoc signatur in tribu Issachar, in cuius ortu ait mater, Gen. 30, 18: *Dedit Dominus mercedem mihi.*

* *A f. 118d*

Unde Issachar interpretatur '*vir mercedis*', et signat virtutem patientiae, quae intuitu mercedis facit omnia adversa gaudenter tolerare, iuxta illud Domini, Matt. 5, 11-12: *Beati estis, cum maledixerint vobis homines et persecuti vos fuerint et dixerint omne malum adversum vos, mentientes propter me; gaudete et exsultate, quoniam merces vestra copiosa est in caelis.* Et Iacob. 1, 2-4: *Omne gaudium existimate, fra-*

[a] A om.

[1] Cf. Marbodus, l. c., 12 (PL 171, 1747). [2] S. Bonav., *In Hexaem.*, coll. XXIII, n. 26.

tres [a] *carissimi, cum in tentationes varias incideritis, scientes quod probatio fidei vestrae patientiam operatur, patientia autem opus perfectum habet, ut sitis perfecti et integri, in nullo deficientes;* et infra [1]: *Beatus vir qui suffert tentationem, quoniam, cum probatus fuerit, accipiet* * *coronam vitae, quam repromisit Deus diligentibus* [b] *se.* Per patientiam enim merita cumulantur et consummantur. Unde Dominus, Luc. 21, 19: *In patientia vestra possidebitis animas vestras.* Super quo Gregorius, in *Homilia,* ait [2]: « Idcirco possessio animae in virtute patientiae ponitur, quia radix omnium bonorum custosque virtutum patientia est; est autem patientia aliena mala aequanimiter perpeti et contra illum qui irrogat nullo dolore morderi ». * Haec Gregorius. * *Bf. 42d* * *Af. 119a*

Unde Iacob hunc benedicens ait, Gen. 49, 14-15: *Issachar, asinus fortis, accubans inter terminos,* idest inter adversa et prospera: verus enim patiens nec prosperis emollitur nec adversis frangitur; *vidit requiem quod esset bona et terram quod optima* [c], *et supposuit humerum ad portandum,* scilicet crucem Domini. Asinus enim super humerum crucem portat, quia Do-

[a] B om. [b] A *timentibus.* [c] B *optimam.*

[1] Iacob. 1, 12. [2] *In Evang.*, II, hom. 35, n. 4 (PL 76, 1262).

minus ait, Matt. 10, 38: *Qui non accipit crucem suam et sequitur me, non est me dignus.* Iste enim est *qui, proposito sibi gaudio, sustinet crucem confusione contempta,* ut dicitur Hebr. 12, 2; et hoc est quod dicit: *Vidit requiem quod esset bona et terram quod optima.*

Unde Richardus, in *Beniamin* [1]: « Scimus quia mens, quae per varia desideria fluctuat, quam adhuc saecularium curarum procella exagitat, ad illud internum gaudium non admittitur. Sola enim terra stante, stare elementa cetera nesciunt. Quid ergo per terram nisi fixam mentis stabilitatem debemus accipere? Haec est illa vere beata terra, mentis videlicet stabilitas tranquilla, quando mens in seipsa tota colligitur et in uno aeternitatis desiderio immobiliter figitur. Est autem illa terra, quam Dominus promittebat [2]: *Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram,* et Psalmista [3]: *Inhabita,* inquit, *terram et pasceris in divitiis eius.* Haec est illa terra, quam iste *Issachar, asinus fortis,* vidit et in eius concupiscentias mirabiliter exarsit. Multum sibi viluerat, qui se asinum, animal fere ceteris vilius, reputabat; multum concupivit terram quam vidit, pro qua ad omnem laborem fortis perdu-
* *A f.119b* ravit. Viderat sane * quod ad pulchritudinem

[1] Cap. 38 et 39 (PL 196, 27-29). [2] Matt. 5, 4.
[3] Psalm. 36, 3.

illius terrae omnes *iustitiae nostrae* erant ut *pannus menstruatae* [1]. Viderat nihilominus quod *non sunt condignae passiones huius temporis ad futuram * gloriam, quae revelabitur in nobis* [2].* *Bf. 43a*
In uno ergo sibi vilis, in altero fortis effectus, de uno humiliatus, de altero roboratus, fortitudinis suae humerum ad laborem omnem libenter inclinavit et ad [a] inquirendam divinam gloriam, non suam, vero Regi dignum tributum persolvit. Vultis audire et alterum sibi simili ratione viluisse et ad omnem nihilominus laborem convaluisse? *Ut iumentum,* inquit [3], *factus sum apud te,* et alibi [4]: *Propter te,* inquit, *mortificamur tota die.* Ecce quam vilis, ecce quam fortis! vilis ut iumentum, fortis ad se mortificandum.

« *Issachar, asinus fortis, habitans inter terminos, vidit requiem quod esset bona et terram quod optima.* Pene ergo, non plene, hanc morientium terram deseruerat; pene, non plene, illam *viventium terram* [5] apprehenderat, qui *inter terminos* habitabat. Vilissimus, quia paucissimis huius vitae bonis contentus erat, huius terrae miserae extrema tenebat; quia per [b] frequentes

[a] B om. [b] B om.

[1] Isai. 64, 6. [2] Rom. 8, 18. [3] Psalm. 72, 23.
[4] Psalm. 43, 22. [5] Psalm. 26, 13.

mentis excessus vitae perennis bona pergustabat, illius beatae terrae initia tangebat; quia huius vitae bona ad necessitatem non respuebat, non penitus hanc terram deserebat; quia futurae vitae nonnisi novissima quaedam capere
* *A f. 119c* poterat, illam non omnino * apprehendebat. Et idcirco *inter terminos* habitabat. Istam tolerabat ad necessitatem, illam cupiebat ad iucunditatem. Satagebat istam penitus deserere, non poterat; ambiebat in illam totus intrare, nec valebat. Fecit ergo quod potuit; *inter terminos* habitavit. Quotidie ad illam nitebatur, quotidie ad istam relabebatur. Et in hunc modum *inter terminos* habitavit. Quid ergo mirum quod eam vidit, qui in eius confinio habitavit? Quid ergo, inquam, mirum quod vidit, quod visam cognovit, quod cognitam concupivit, et idcirco *supposuit*
* *B f. 43b* *humerum ad portandum et factus est tributis * serviens?* Requies ergo ibi est, et requies bona. Si enim ibi non esset, ibi eam minime vidisset; si bona non esset, propter eam *humerum ad portandum* minime *supposuisset. Mansueti autem,* ait Propheta [1], *hereditabunt terram et delectabuntur in multitudine pacis.*

« Ecce qualis terra. Pax ibi est, pax plena, requies bona; pax quieta, quies pacifica. In illa labor non est, sed ad illam sine labore perveniri

[1] Psalm. 36, 11.

non potest. Propter ipsam laboratur, sed in ipsa non laboratur. Extra hanc terram non invenitur requies vera; nullus penitus labor invenitur in hac terra. Duo sunt: terra et requies; duo bona contra duo mala. Duo sunt magna mala, miseria scilicet et concupiscentia, poena scilicet et culpa; duo magna bona, tranquillitas scilicet et stabilitas. Nullam molestiam * sentire est bene requie-* *A f. 119d*
scere, nullis concupiscentiae fluctibus agitari est proculdubio iam in terra morari. In tali terra et requies talis! Mens, quae ad internum gaudium nondum tota colligitur, quae sit vera requies minime experitur. Vae mihi misero, qui usque hodie vivo *vagus et profugus super terram* [1]: *vagus* sequendo concupiscentiam, *profugus* declinando miseriam. Semper deest quod concupiscam, ubique invenio quod fugiam. Profecto terra mala, terra miseriae, terra talis in qua taliter vivo, *terra miseriae et tenebrarum, ubi umbra mortis et nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat* [2]. Est proculdubio terra talis non stabilitas cordis, sed duritia et insensibilitas mentis. Sed *spiritus tuus bonus,* Domine, *deducet me in terram rectam* [3] et qualem Issachar vidit et concupivit, eo quod esset ibi *requies bona et ipsa terra optima.*

[1] Gen. 4, 12. [2] Iob, 10, 22. [3] Psalm. 142, 10.

« O felicem, qui potuit vel ad horam omnium malorum oblivisci et illa interna pace vel requie saltem ad modicum potiri! felicem [a] nihilominus, cui datum est in unum colligere dispersiones cordis et in illo verae felicitatis fonte desiderium
* *Bf. 43c* figere! Illud itaque bonum, verumtamen * hoc optimum, iuxta quod *Issachar vidit requiem quod esset bona et terram quod optima*. Quia bonum quidem est longe esse ab omni malo, multo tamen melius, immo optimum inhaesisse summo bono. Novit hoc Issachar, et idcirco a tali terra longius discedere nolebat; sed *habitans inter ter-*
* *Bf. 120a* *minos* in eius vicinia ma-*nebat, cupiens et ambiens eam raptim quidem et furtim per raros saltem excessus tangere, sed et de illius terrae fructibus frequentius comedere. Est enim, ut nosse potestis, fructus terrae illius sublimis, fructus mirabilis, fructus singularis. Huius quidem terrae fructibus mens hominis saepius satiata et aliquatenus impinguata mirandam [b] subito contra omnia pericula fortitudinem accipit ». Huc usque Richardus.

Asinus etiam quanto magis percutitur et vituperatur, tanto melius portat sarcinam et velocius ambulat; ita quilibet vere patiens quanto magis ab aliis vituperatur et tribulatur, tanto magis ipse proficit in virtute [c]. Iste, inquam,

---

[a] A om. [b] B *miranda*. [c] A om. *et tribulatur... virtute*.

est ille Issachar, de quo Moyses ait, Deut. 33, 19: *Inundationem maris,* idest multitudinem supervenientis amaritudinis, *quasi lac suget,* idest suaviter sustinet, supple 'ut inveniat' *thesauros absconditos.* Sed quia vera patientia Christus est et a Christo est, iuxta illud Psalmi[1]: *Tu es, Domine, patientia mea,* et iterum[2]: *Patientia mea a Deo est,* quia in Ipso est vera et summa patientia a qua omnis vera patientia derivatur, quilibet in tribulatione deficeret nisi continuato mentis aspectu in eum intenderet. Propter quod dicit, Ioan. 16, 33: *In mundo quidem pressuram habebitis, sed confidite: ego vici mundum;* et Paulus, Hebr. 12, 1-3: *Per patientiam curramus* [a] *ad propositum nobis certamen, aspicientes in auctorem fidei et consummatorem Iesum, qui proposito sibi gaudio sustinuit crucem, confusione* [b] * *contempta;* et sequi- *Af.120b*
tur: *Recogitate eum, qui talem sustinuit a peccatoribus adversus semetipsum contradictionem, ut non fatigemini animis vestris deficientes.* Unde et [c] Issachar interpretatur * *'vir memorans Do-* *Bf.43d*
minum'.

Et ideo nonum fundamentum istius civitatis est topazius, qui « habet duos colores, ex auro

[a] B *occurramus.* [b] B *confusionem.* [c] B om.

[1] Psalm. 70, 5. [2] Psalm. 61, 6.

et aetherea claritate maxime lucens, cum solis splendore tangitur, superans omnes gemmarum claritates, in aspectum suum singulariter provocans aspicientes, et nihil est eo carius regibus inter divitias ». Haec Glossa [1] Apoc. 21, 20. Hic topazius virtus patientiae est; color aureus eius valorem designat, quia *multo pretiosior* est *auro quod per ignem probatur*, ut dicitur I Petr. 1, 7; aetherea claritas, quae nobis saepius occultatur, signat quod patientes, idest *qui docti fuerint, fulgebunt sicut splendor firmamenti, et qui ad iustitiam erudiunt multos sicut stellae in perpetuas aeternitates*, ut dicitur Dan. 12, 3. Nam *doctrina viri per patientiam dignoscitur et gloria eius* [a] *est iniqua praetergredi*, ut dicitur Prov. 19, 11; ubi Glossa [2]: « Tanto quisque minus ostenditur doctus, quanto minus patiens; neque enim potest veraciter bona [b] docendo impendere, si vivendo nescit adversa aequanimiter tolerare ». Unde Apostolus, II Tim. 4, 2: *Argue, obsecra, increpa in omni patientia et doctrina.*

*Af.120c Quod vero maxime lucet cum splen-*dore solis tangitur, signat quod haec virtus maxime viget

[a] B om. [b] B *bona veraciter.*

[1] In h. l., ap. Lyran. (ed. cit., f. 273v). [2] In h. l., ap. Lyran. (ed. cit., f. 327v).

respectu solis iustitiae, Christi Domini nostri; omnes alias virtutes superat sicut finis omnium et corona. « Aspicientes provocans », quia non est aliqua virtus, quae tantum ad proximorum aedificationem valeat. Unde super illud Eccli. 7, 6: *Noli quaerere fieri iudex, nisi valeas virtute disrumpere iniquitatem,* dicit Glossa[1]: « Ille [a] trahi [b] debet in exemplum vivendi, qui nulla adversa pertimescit ». Haec Glossa. Hoc exemplo patet in martyribus, qui sua patientia crudelissimos converterunt tyrannos [c]. Merito ergo sancti hanc omnibus praeferunt divitiis et gemmis virtutum.

Dicitur in *Lapidario* [2] etiam quod, si quis hunc lapidem secum in praelio habuerit, hostes superabit, et quod iram et molestiam et phrenesim mitigat et abstinentiam suggerit omnesque noxios fervores corporis reprimit. Iuxta quod Prov. 16, 32, dicitur: *Melior est* * *patiens viro forti* * *Bf. 44a et qui dominatur animo suo expugnatore urbium.*

Quartum latus [d].

Quarto requiritur de Deo sapidus sensus, ubi caritas ad amplexum sponsi perducens requie-

[a] B add. *qui.* [b] A *pertun* pro *trahi.* [c] B *tyrannos converterunt.* [d] A om. *Q. l.*

[1] Rabani, in h. l. (PL 109, 803). [2] Cf. Marbodus, l. c., 13 (PL 171, 1748).

scere facit, et istud est latus huius civitatis ad Occidentem. In Occidente enim quies attenditur, ubi etiam homo exterior moritur, quia ut ait Dominus Moysi, Exod. 33, 20: *Non videbit me homo et vivet;* ubi etiam abundant maxime caligo, nubes, fulgura, et coruscationes et tonitrua. Qui enim ab hoc latere vult ingredi * civitatem, ut perveniat ad illum *qui lucem habitat inaccessibilem* [1] quique *ponit tenebras latibulum suum* [2], primo oportet per caliginem intrare. Iuxta quod Moyses, cum ad Deum ascenderet in montem Sinaï ubi legem accepit, primo intrat in caliginem, audit tonitrua, videt coruscationem et discurrentia fulgura nubemque densissimam, ut dicitur Exod. 19, 16; *nubes* enim *et caligo in circuitu eius,* dicitur in Psalmo [3], et iterum [4]: *Inclinavit caelos et descendit, et caligo sub pedibus eius;* et Salomon dixit, III Reg. 8, 12: *Dominus dixit ut habitaret in nebula.* « Divina autem caligo est inaccessibile lumen, quam inhabitare Deus dicitur », ait Dionysius, epistola *Ad Dorotheum* [5]. Et ideo secundum eumdem, *De angelica hierarchia,* cap. 1 [6]: « Non est nobis possibile aliter lucere divinum radium nisi varietate sacrorum velaminum anagogice circumvelatum ». « Ad istum autem sensum habendum tria sunt necessaria,

* *Af. 120d*

[1] I Tim. 6, 16. [2] Psalm. 17, 12. [3] Psalm. 96, 2.
[4] Psalm. 17, 10. [5] PG 3, 1074. [6] § 2 (PG 3, 122).

scilicet sublimis mansionis status pacificus, sagacis discretionis conspectus perspicuus, suavis consolationis vel degustationis excessus exstaticus [1] ».

Zabulon [a].

Primo ergo requiritur sublimis mansionis status pacificus, et hoc signatur in tribu Zabulon, in cuius ortu ait mater, Gen. 30, 20: *Mecum erit maritus meus,* * quasi dicat quod ait sponsa* *Bf. 4*
cum ad sponsi amplexus se pervenisse gauderet, Cant. 3, 4: *Inveni quem diligit anima mea, tenui illum nec dimittam.* O qualis dos, qualis gratia, qualis dignitas, ut semper in praesenti habeat quod concupivit semperque * teneat* *Af. 12*
quod desideravit, nec illud dimittere vel amittere possit! Merito ergo nato Zabulon exclamat mater eius Lia: *Ditavit me Deus dote bona* [2].

Unde Zabulon interpretatur *'habitaculum fortitudinis'* vel pulcritudinis, et signat sponsam innixam super Sponsum illum, qui est *pulcher et decorus* et *desiderabilis totus, apud quem non est transmutatio nec vicissitudinis obumbratio* [3]. Tales sunt *homines divites in virtute,*

[a] A om.

[1] S. Bonav., *In Hexaem.*, coll. XXIII, n. 27. [2] Gen. 30, 19. [3] Iacob. 1, 17; Cant. 1, 15; 5, 16.

pulcritudinis studium habentes, pacificantes in domibus suis, ut dicitur Eccli. 44, 6, et qui *de civitate sancta vocati sunt et super Deum Israel constabiliti sunt,* ut dicitur Isai. 48, 2. Hoc est illud *firmissimum habitaculum* [1], quod Salomon sapientissimus atque pacificus in tanta quiete aedificari fecit quod *non sunt audita in* eo *malleus et securis et omne ferramentum,* quia nonnisi *de lapidibus dolatis atque perfectis aedificatum est,* ut dicitur III Reg. 6, 7, quod secundum historiam veritatem habere non potest. Unde Eccli. 47, 15: *Salomon imperavit in diebus pacis, cui subiecit Deus omnes hostes, ut conderet domum in nomine suo et pararet sanctitatem in sempiternum.*

Huiusmodi enim habitaculum oportet esse elevatum a cunctis sensibilibus et phantasmatibus et etiam intelligibilibus, ut possit pervenire ad unitionem eius qui est super « omnia sensibilia et intelligibilia », sicut docet Dionysius, in libro *De mystica theologia,* cap. 1, ubi [2] ait sic[a]: « Tu autem, amice Timothee, circa[b] mysticas visiones forti contritione et
Af. 121b sensus derelinque et intellectuales operationes
Bf. 44c et omnia sensibi-*lia * et intelligibilia et omnia

[a] A *sicut.* [b] B *contra.*

[1] Cf. Exod. 15, 17. [2] Iuxta versionem I. Sarraceni. Cf. infra, p. 331, n. 1.

existentia et non-existentia, et, sicut est possibile, ignote consurge ad eius unitionem, qui est super omnem substantiam et cognitionem »; sequitur: « Ut cuncta auferas et a cunctis absolutus sursum agaris. Vide autem ut nullus indoctorum ista audiat, illos autem dico, qui in existentibus sunt firmati ». Haec Dionysius.

Cum enim [a] ista unitio fiat per amorem, oportet omnes virtutes apprehensivas derelinquere, scilicet sensitivam, imaginativam, aestimativam et intellectivam, et oportet ab omni quod non est Deus absolvi, etiam a seipso, si est possibile. Unde super illud Dionysii, *Hierarchiae angelicae*, cap. 7, *De Seraphim:* « Mobile eorum semper circa [b] divina et incessabile et calidum et acutum et fervidum », dicit Hugo, in *Commento* [1]: « Dilectio, inquit, eminet scientiae et maior est intelligentia: plus enim diligit quam intelligit, et intrat dilectio et appropinquat ubi scientia foris stat; nec mirum, quoniam dilectio semper amplius praesumit et ingerit se sine cunctatione, propterea acutum habet et liquidum penetrans omnia et impetum sequens ardentis desiderii nec dissimulare valens donec ad amatum perveniat ». Haec Hugo.

[a] B *autem.* [b] B *contra.*

[1] Lib. VI (PL 175, 1038). Cf. M. de Aquasparta, *De cognitione*, q. 9, p. 400 sq.

Et ideo patet quod error est dicere quod tota beatitudo in intellectu consistit, sicut quidam indocti et in existentibus firmati dixerunt [1].

Quod autem hoc fiat solum per amorem, ostendit Apostolus, Ephes. 3, 17-19: *In caritate radicati et fundati, ut possitis comprehendere cum omnibus sanctis quae sit longitudo, latitudo,* f.121c* *sublimitas et profundum, scire etiam supereminentem scientiae caritatem* [a] *Christi, ut impleamini in omnem plenitudinem Dei.* Sed si *supereminet scientiae,* quomodo potest cognosci? Audi quod sequitur: *Ei autem qui potens est omnia facere superabundanter quam petimus aut intelligimus,* supple ' hoc est possibile '. Et ideo dicit Apostolus, I Cor. 2, 7-10: *Sapientiam Dei loquimur in mysterio, quae abscondita est, quam nemo principum huius saeculi cognovit; sed sicut scriptum est, quod oculus non vidit nec auris audivit nec in cor hominis ascendit, quae praeparavit Deus his qui diligunt eum; nobis autem revelavit Deus per Spiritum suum: Spiritus enim*

[a] B *supereminente scientiae caritate.*

[1] M. de Aquasparta, loc. cit., p. 405: « Dico indubitanter quod raptus, prout provenit ex vehementia devotionis, non tantum pertinet ad intellectum, sed potius et principalius et perfectius ad affectum... per essentiam ». S. Bonav., *In Hexaem.*, coll. II, n. 29: « Patet quod non est tota beatitudo in intellectiva »; *Brevil.*, VII, c. 7, n. 3.

omnia scrutatur, etiam profunda Dei. Sequitur: *Et quae loquimur non in doctis humanae sapientiae verbis, sed in doctrina Spiritus.* Quomodo [a] autem hoc fit, si *in cor hominis non ascendit?* Augustinus, *Super Ioannem,* homilia I [1]: « Haec sapientia in cor hominis non ascendit [b], * sed forte cor hominis in illam ascendit ». *Bf. 4

Ad hoc autem quod cor hominis in illam ascendat, oportet quod sit homo sequestratus et absolutus ab omnibus; iuxta quod dicit Dominus [c], Osee 2, 14: *Ducam eam in solitudinem et loquar ad cor eius,* et Augustinus, ubi supra [2]: « Nisi Ioannes ista omnia quae creata sunt transcendisset, ad ea quae perfecta sunt non pervenisset, *Verbum* scilicet illud, quod est *fons sapientiae in excelsis* [3] ». Haec Augustinus. Et ideo, « cum affectiva [4] est in illa unione et silentium imponit omnibus aliis potentiis, tunc homo est alienatus a sensibus et est in exstasi positus et audit verba *quae non licet homini loqui* [5], quia non potest exprimi nisi quod concipitur, concipi autem non potest nisi quod intelligitur. * Se- *Af. 12
quitur ergo quod nihil loqui possit. Iste enim

[a] B *quoniam.* [b] A om. *Augustinus... ascendit.* [c] B *Dominus dicit.*

[1] Num. 4 (PL 35, 1381). [2] Num. 5 (PL 35, 1381). [3] Eccli. 1, 5. [4] Haec ad litteram leguntur in S. Bonav., *In Hexaem.*, coll. II, n. 30 (V, 341 b). [5] II Cor. 12, 4.

est *digitus Dei,* ad quem magus Pharaonis, id-est intellectus noster, non potest attingere, Exod. 8, 19 ». *Digitus,* idest Spiritus Dei, qui istam sapientiam docet, Sap. 7, 21-23: *Quaecumque sunt absconsa et improvisa, didici: omnium enim artifex docuit me Sapientia; est enim in illa spiritus intelligentiae* [a] *sanctus, unicus, multiplex, subtilis, mobilis, disertus, nobilis, incoinquinatus, certus, suavis, amans bonum actum, qui nullum vetat benefacere, humanus, benignus, stabilis, securus, omnem habens virtutem, omnia prospiciens et qui capiat omnes spiritus intelligibiles, mundos, subtiles.*

Et iste est [1] amor unitivus, sequestrativus, soporativus et sursum activus. Sequestrat enim ab omni alio affectu, soporat et quietat omnes alias [b] potentias, sursum agit quia in Deum ducit; et in tali unione virtus animae in unum colligitur et magis infinitatur, quia intrat in suum intimum et per consequens ascendit in suum summum. Secundum enim Augustinum [2], idem est intimum animae et supremum. Et de tali somno dicitur, Cant. 3, 5: *Adiuro vos, filiae*

[a] B delevit. [b] A om.

[1] Quae sequuntur, sunt quasi ad verbum apud S. Bonav., *In Hexaëm.*, coll. II, n. 31 sq. (V, 341 sq.). [2] Cf. *De spiritu et anima*, c. 34 (PL 40, 804); S. Bonav. *Opera omnia*, V, p. 341, nota 10.

Ierusalem, ne suscitetis neque evigilare faciatis dilectam, donec ipsa velit. Iuvat etiam ad hoc dimittere angelicas intelligentias, ut dicere possit cum sponsa, Cant. 3, 3: *Invenerunt me vigiles, qui custodiunt civitatem;* et sequitur: *Paululum cum pertransissem, inveni quem diligit anima mea.* Et haec vocat Dionysius[1] « entia », temporalia vero vocat « non-entia », quae in continua transmutatione sunt, entia autem aeviterna. Et sic * « intrare in radium * tenebrarum » hoc dicitur, quia intellectus non capit et tamen anima summe illustratur. Et quia haec non nisi per orationem habentur, ideo Dionysius: « Haec, inquit[2], mihi sunt oratione postulata ». *Af. 1 *Bf. 4

Ratio autem naturalis est ad hoc, quia quandocumque virtus influxa ab aliquo agente in recipiente quiete non figitur, caret operatio naturali fine. Verbi gratia, actio radii descendentis a sole super aquam habet pro fine connaturali aquam illam calefacere et rarefacere, subtiliare atque [a] id quod in ipsa est subtilius et spiritualius vaporabiliter trahere et in altum sublimare, et ideo cum aquam invenit modicae

[a] B *ad*, A *ad que*.

[1] *De mystica theologia*, c. 1, secundum versionem I. Sarraceni (ap. Dionys. Cartusianum, *Op. omnia*, XVI, 472).
[2] Loc. cit.

quantitatis ita ut vinci possit eius naturalis frigiditas a solis calore et sit quieta ita ut possit virtus radiorum in ea efficaciter et profunde agere, consequitur finem suum; si autem aquam inveniat fluctibus continuis agitatam vel rapidi cursus, non potest super aliquam eius particulam agere et ideo carebit suo connaturali fine.

Iuxta ergo praemissam considerationem, quamdiu anima in magno huius saeculi mari constituta tentationum fluctibus agitatur, sensibilium transmutationibus inhaeret, Zabulon esse non potest nec ad verum hunc sensum Dei pervenire, quia cor *impii quasi mare* [a] *fervens quod quiescere non potest: abiit* enim *vagus in via cordis sui* et ideo *non est pax impiis, dicit Dominus,* Isai. 57, 20-21. Unde Iob 28, 12-14: *Sapientia ubi invenitur? mare* dicit: *Non est mecum.* Propter quod etiam Philosophus dicit[1]
Af. 122b quod « in sedendo et quiescendo * fit anima prudens et intelligens »; et Eccli. 38, 25: *Sapientiam scribae in tempore vacuitatis, et qui minoratur actu percipiet sapientiam, quia replebitur sapientia;* et Thren. 3, 28 dicitur sub littera *Ioth,* quae interpretatur '*scientia*': *Sedebit solitarius et tacebit, quia levabit se super se;* et

[a] A *mari.*

[1] Aristot., *Phys.*, VII, c. 3, text. 20.

Isai. 58, 11: *Requiem* [a] *dabit tibi Dominus et implebit splendoribus animam tuam.* Et Augustinus, *De vera religione* [1]: « Unum certe quaerimus, quo simplicius nihil est; ergo *in simplicitate cordis* quaeramus illum [2]. *Agite otium,* inquit, *et agnoscetis quia ego sum Deus,* non otium desidiae, sed otium cogitationis, ut a locis ac temporibus vace-*tis: haec enim phan- *Bf. 45
tasmata timoris et mobilitatis constantem [b] veritatem videre non sinunt; loca offerunt quod amemus, ipsa subripiunt quod amamus et relinquunt in anima turbam phantasmatum, quibus in aliud atque aliud cupiditas incitetur. Ita fit inquietus et aerumnosus animus ». Haec Augustinus. Et, ut in quadam *prosa* [3] dicitur:

Incursu tot phantasmatum
turbatur [c] *cordis sabbatum.*

Et Richardus, in *Beniamin,* ait [4]: « Mens, quae adhuc per desideria varia spargitur, quae vanis cogitationibus huc illucque dispergitur vel distrahitur, quando putas gratiam contemplatio-

[a] B *requie.* [b] AB *nobilitatis constantie* pro *m. c.* [c] B *turba.*

[1] Cap. 35, n. 65 (PL 34, 151). [2] Sap. 1, 1. Sequitur Psalm. 45, 11. [3] Adami de S. Victore, prosa *Supernae matris gaudia* (PL 196, 1527). [4] Cap. 83 et 84 (PL 196, 59sq.).

nis accipere merebitur? Quae nondum potest se ipsam in unum colligere, quae nondum novit ad se ipsam intrare, quomodo poterit ad ea quae supra ipsam sunt contemplatione ascendere? Discat ergo *dispersiones Israelis congre-*
A f. 122c *gare* [1], studeat evagationes mentis * restringere, assuescat in intimis suis immorari, exteriora omnia oblivisci, qui ad caelestium contemplationem anhelat, qui in divinorum notitiam suspirat, ut discat solum verum bonum amare et ipsum solum indesinenter cogitare ». Haec Richardus.

Unde Iacob hunc filium benedicens ait, Gen. 49, 13: *Zabulon in littore maris habitabit et in statione navium pertingens usque ad Sidonem.* Per *littus maris* « quietis aeternae stabilitas » designatur, prout ait Gregorius, in homilia super illud Ioan. 21, 2: *Stetit Iesus in littore* [2]. Ista enim quies est portus et statio illius *navis institoris* quae *de longe portat panem suum,* ut dicitur Prov. ultimo, 14. Huius navis stabilitas est *anchora* illa *tuta et firma,* quae *incedit* [a] *usque ad interiora velaminis, ubi praecursor pro nobis introivit Iesus,* ut dicit Apostolus, Hebr. 6, 19-20.

---

[a] A *incendit.*

[1] Psalm. 146, 2. [2] *In Evang.*, II, hom. 24, n. 2 (PL 76, 1185).

Habitat ergo Zabulon *in littore,* non in mari, *in statione navium,* non in motu vel [a] cursu, et *pertingit usque ad Sidonem;* sed habitat in Sidone. Sidon enim '*commotio*' interpretatur: egressus enim est a commotione. Propter quod Moyses etiam hunc benedicens ait, Deut. 33, 18-19: *Laetare, Zabulon, in exitu tuo; populos ad montem * vocabis; ibi immolabunt victimas* iustitiae.* *Bf.45*

Unde decimum [b] fundamentum huius civitatis est chrysoprasus, lapis pulcherrimus et valde iucundus, cuius color est « viridis aureaeque mixturae; quidam etiam est purpureus cum guttulis aureis », * ut dicitur in Glossa [1] Apoc. 21, 20. Et signat animum pulcritudine pacis iucundum, caelesti sapientia delitiose refertum, vigore spiritus stabilitum, iuxta illud Isai. 32, 17-18: *Erit opus iustitiae pax et cultus iustitiae silentium et securitas usque in sempiternum, et sedebit populus meus in pulcritudine pacis, in tabernaculis fiduciae, in requie opulenta;* et illud Psalmi [2]: *Factus est in pace locus eius et habitatio eius in Sion, ibique illuminat mirabiliter a montibus aeternis.* *Af.122*

---

[a] B om. *motu vel.* [b] B *undecimum.*

[1] In h. l., ap. Lyran. (ed. cit., f. 273v). [2] Psalm. 75, 3-5.

Ioseph [a].

Secundo requiritur « sagacis discretionis conspectus perspicuus, ut sicut columba super aquas residens videt avem rapacem, sic homo videat in Scripturis sacris [1] »; et hoc signatur in tribu Ioseph, in cuius ortu ait mater, Gen. 30, 23-24: *Abstulit Deus opprobrium meum, addat mihi Dominus filium alterum.* Haec est virtus discretionis, quae omne opprobrium aufert et omnia bona augmentat. Unde Ioseph interpretatur '*augmentum*'. Hic est enim Ioseph qui de se ait, Gen. 41, 52: *Crescere me fecit Deus in terra paupertatis meae.*

Hunc ergo filium benedicens Iacob ait, Gen. 49, 22-23: *Filius accrescens Ioseph, filius accrescens et decorus aspectu; filiae discurrerunt super murum, sed exasperaverunt eum.* Super quo Hieronymus ait [2]: « Filiae Aegypti asperae sibi fuerunt nec dilectae ab eo ». Haec Hieronymus. Filiae istae Aegypti sunt exteriores scientiae in altitudine theorematum et speculatione Peripateticorum quasi discurrentium constitutae; quae omnes videntes Ioseph *pulcra*

[a] A om.

[1] S. Bonav., *In Hexaem.*, coll. XXIII, n. 29. [2] Cf. *Lib. hebraic. quaest. in Genesim* (PL 23, 1008).

facie et decorum aspectu [1], lim-*pidum scilicet* * *Af. 123a* intellectum sacrae Scripturae, in eum oculos iacientes ei sociari cupiunt vel ad minus eius pallio operiri ad fidei argumentum. Quod ad litteram aegyptiaca domina fecit Ioseph, ut dicitur Gen. 39, 12. Iste est ille vir, quem *apprehendere* cupiunt [a] *mulieres septem,* universae scilicet scientiae vel septem Artes liberales, dicentes: *Tantummodo invo-*cetur nomen tuum super* *B f. 45d* *nos,* idest notitia tua in nobis appareat, *aufer opprobrium nostrum,* ut dicitur Isai. 4, 1; quia *anima viri sancti enuntiat* [b] *vera quam septem circumspectores sedentes in excelso ad speculandum,* ut dicitur Eccli. 37, 18. *Spiritu* enim *Sancto inspirati locuti sunt sancti Dei homines,* ut dicitur II Petr. 1, 21. Hunc etiam virum admirans Pharao ait, Gen. 41, 38-39: *Num invenire poterimus talem virum, qui Spiritu Dei plenus sit?* Et *dixit ad Ioseph: Quia ostendit tibi Deus omnia quae locutus es, numquid sapientiorem et similem tui invenire potero?* quasi dicat: Non. Sed qui verum sensum habet Scripturae, hanc mixtionem illicitam reputans nullatenus acquiescit.

Sequitur [2]: *Iurgati sunt invideruntque ei habentes iacula.* Vult dicere quomodo fratres sui

[a] B om. [b] B *annuntiat.*

[1] Gen. 39, 6. [2] Gen. 49, 23.

oderant eum [a] *nec poterant ei quidquam pacifice loqui,* eo quod ipse eos apud patrem accusaret. Iste est enim qui *tunica polymita* induitur, *a patre plus cunctis amatur* [1], quem *adorare* debent *sol et luna et stellae undecim* [b], idest pater [c], mater et fratres, cuiusque manipulum aliorum manipuli venerantur [2]; quae omnia *invidiae et odii fomitem ministrarunt,* ut dicitur Gen. 37, 8.

* *Af. 123b* Unde Richardus, in *Beniamin* [3]: « * Merito illa virtus singulariter diligitur, sine qua nulla conquiritur, nulla consummatur, nulla conservatur; haec est discretio, quae per Ioseph intelligitur. Hic est ille Ioseph, qui solus inter fratres tunica talari induitur, quia sola illa actio ad consummationis [d] talum debitique finis terminum perducitur, quae per discretionis prudentiam moderatur. Hic est ille *somniator* [4] somniorumque interpretator, quia vera discretio in ipso tentationis articulo inter ipsas suggestiones phantasmatum ex eorum qualitate futura pericula deprehendit et aliis quibuscumque ad cogitationum suarum confessionem imminentium malorum insidias detegit et de futu-

[a] B *inviderunt ei* pro *oderant eum.* [b] A *undecima.* [c] B add. *et.* [d] B *conservationis.*

[1] Gen. 37, 4-2. [2] Gen. 37, 7-9. [3] Cap. 67-70 (PL 196, 48-50). [4] Gen. 37, 19.

ris periculis cautos reddit. Hic est quem aemuiantur sui, venerantur alieni, quem vendunt Hebraei, emunt Aegyptii, qui citius consilio acquiescunt faciliusque alienae prudentiae cedunt, erroris sui tenebras cognoscentes, quam de sua iustitia vel sapientia praesumentes. Hic est Ioseph * sponsus, virginitatis amator, non violator,* *Bf.46a* quia discretio custos, non corruptor, esse solet internae puritatis.

« Hunc Ioseph pater et mater et fratres adorant, quia aut spontanea voluntate aut coacti necessitate quandoque discretioni obtemperant. Per discretionem siquidem sol ille mundi intellectualis, interior ille oculus cordis, intentio videlicet mentis, dirigitur, per discretionem ipsa de qua oritur subtilitas rationis acuitur, per discretionem tota illa fratrum * germanitas mo-* *Af.123c* dificatur, et virtutum quaelibet, quae eius consilio non acquiescit, quae [se] discretioni non subdit, citius [a] virtutis nomen amittit. Ipse est qui fratrum suorum negligentias [b] non negligit; ipse est qui eorum excessus arguit. Ipso praesente, non licet eis quidquam ultra vires suas praesumere; in eius praesentia non licet eis sive ad dexteram sive ad sinistram declinare, nihil segniter, nihil praecipitanter agere, nihil ante tempus praesumere, nihil ultra temporis

[a] B *cuius.* [b] B *negligentiam.*

opportunitatem differre. Hinc illa inter fratres et ipsum discordia gravis et ita pene implacabilis, de qua Scriptura non tacet, cum manifeste pronuntiet quia *oderant eum* fratres sui *nec poterant ei quidquam pacifice loqui* [1]. Monita enim Ioseph videntur eis valde gravia eiusque instituta consilia importabilia. Quid durius? quid difficilius? quam nihil faciendum negligere et in omni suo facto nunquam modum perturbare, nunquam ordinem confundere, nunquam mensuram excedere. Crede mihi; nihil a se animus difficilius extorquet quam ut in omni sua affectione modum servet.

« Saepe enim fratres Ioseph magnum aliquid molientes, dum eis undique acclamatur: Euge! euge! solent non solum ad utilia, verum etiam ad impossibilia, conatus sui manus extendere. Frequenter siquidem animi affectus ex huiusmodi adulantium acclamatione ad immoderatam
* *Af. 123d* praesumptionis audaciam effre-*natur, immo mul-
* *Bf. 466* totiens per ipsam mentis intentionem de-*pravatam [a] usque ad hypocrisis crimen deducitur atque deicitur. Hoc est illud *crimen pessimum* [2] et prae ceteris abominandum, quia Deo prae omnibus odiosum, de quo Ioseph fratres suos

[a] AB *depravati*.

[1] Gen. 37, 4. [2] Gen. 37, 2.

apud patrem accusat, sicut Scriptura sacra testatur: *Accusavit Ioseph fratres suos crimine pessimo*. Vitium, quod singulariter Deus detestatur, nullum aliud quam hypocrisis rectius intelligitur: Augustino testante [1], ‘simulata aequitas non est aequitas, sed duplex iniquitas’. Hoc vitium tunc pater corrigit, quando affectum tangens durius pulsat, durius occupat; verumtamen animum usque ad consensum non inclinat. Pertinet itaque [a] ad Ioseph non modo hoc vitium, sed quodlibet insidians malum et latens adhuc provide circumspicere, caute providere, callide deprehendere, citius detegere, acerbius arguere». Huc usque verba Richardi.

Per *solem* etiam et *lunam* et *undecim stellas*, idest patrem et matrem et fratres, intelligere possumus superiorem portionem rationis et inferiorem, quas Apostolus, I Cor. 11, 11, virum vocat et mulierem, et omnes alias animae potentias tam cognitivas quam affectivas, quae omnes discreto sensui sacrae Scripturae obtemperare debent et subiacere; de quibus dicitur Eccle. 12, 1: *Memento Creatoris tui in diebus* [b] *iuventutis tuae, antequam tenebrescat sol et luna et stellae;* non quod virtus animae cor-

[a] B *ita.* [b] B *die.*

[1] In Psalm. 63, n. 11 (PL 36, 765).

pore senescente senescat, quia, ut[a] Philosophus[1] dicit[b], « si senex acciperet oculum iu-
*Af. 124a venis, videret utique sicut * iuvenis », sed quia, quamdiu anima in corpore est, operationes suas in corpore exercet ita quod operationes non sunt animae, sed coniuncti, cum corpus deficit et senescit, oportet virtutes animae quantum ad actus in corpore eodem modo deficere; iuxta quod et Philosophus dicit[2] quod « intellectus corrumpitur quodam interius corrupto ». Unde et benedictio Ioseph est *de pomis fructuum solis et lunae,* ut dicitur Deut. 33, 14.

Hoc etiam modo intellige visionem de manipulis. Alii enim *non implent manus suas cum metunt* neque *sinum suum* quando *manipulos colligunt*[3]; sed hic *cum exultatione reportat mani-*
*Bf. 46c *pulos suos*[4], quia hic *metit* * et *mercedem accipit et congregat fructum in vitam aeternam,* ut dicitur Ioan. 4, 36. Alii enim herbas et paleas colligunt, quae sunt cibus iumentorum, idest simplicium; sed hic solum frumenta, idest documenta veritatis in Scripturis sanctis, et haec sunt cibus et refectio hominum, idest discreto-

[a] B *et.* [b] A om.

[1] Aristot., *De anima,* I, Summa III, c. 3, text. 65 (ed. Iuntas, f. 121a). [2] Aristot., *De anima,* I, Summa III, c. 3, text. 66 (ed. Iuntas, f. 121a). [3] Psalm. 128, 7. [4] Psalm. 125, 6.

rum, iuxta illud Psalmi [1]: *Homines et iumenta salvabis, Domine,* idest sapientes et simplices. Propter quod Dominus dicit, Ioan. 10, 16: *Oves meae vocem meam audient;* quasi dicat: Simplices audiunt tantum vocem, sed homines, idest sapientes et discreti, non solum audiunt vocem, sed verbum, quia *non in solo* [a] *pane vivit homo, sed in omni verbo quod procedit de ore Dei*, ut dicitur Matt. 4, 4.

Ideo de Ioseph dicitur quod *natus est homo,* Eccli. 49, 17, quod nihil omnino esset dicere nisi aliquid singulare discretionis et sapientiae in eo ostenderet. Unde secundum Hebraeos Ioseph dictus est *Abreht,* idest 'pater tenerrimus'. Dicitur enim *Abreht* ab *abba,* quod est *pater,* et *reht,* quod est *delicatus* sive tenerrimus, * quasi licet sit tener et delicatus aetate,* est tamen pater sapientia et discretione [2]. Nonne iste est Ioseph, qui frumenta congregat contra famem futuram? Nonne iste est, qui Aegypto et cunctis regionibus fame oppressis [b] frumenta dispensat, ut dicitur Gen. 41, 56? Propter quod et *lingua aegyptiaca salvator mundi* vocatus est [3]. Nonne hic est, qui etiam patrem suum et fra-

A f. 124b

[a] B *solum in* pro *in solo.* [b] A *appressis.*

[1] Psalm. 35, 7. [2] Cf. Petrus Comestor, *Historia scholastica, In Gen.*, c. 92 (PL 198, 1130). [3] Gen. 41, 45.

tres ditat et nutrit? Unde Richardus, in *Beniamin,* ait [1]: « Ad officium Ioseph spectat cura et custodia omnium fratrum suorum, ad ipsum disciplina singulorum, ad ipsum dispositio gerendorum, ad ipsum providentia futurorum ». Haec Richardus. Hic est enim vere ille sextus angelus Philadelphiae, qui interpretatur « salvans haerentem Domino sive hereditatem Domini », cui dicitur Apoc. 3, 8-10: *Ecce dedi coram te ostium apertum quod nemo potest claudere, quia modicam habes virtutem et servasti verbum meum et non negasti nomen meum; ecce dabo de synagoga Satanae, qui se dicunt Iudaeos*
* *Bf. 464* *esse et non sunt, sed mentiuntur, ut veniant* * *et adorent ante pedes tuos, et scient quia ego dilexi te; quoniam servasti verbum patientiae meae, et ego servabo te ab hora tentationis quae ventura est in orbem universum.*

Ideo sequitur Iacob, ubi supra [2]: *Sedit in forti arcus eius.* Arcus iste est alta et profunda intelligentia sacrae Scripturae, qui [a] quanto magis aperitur et tenditur, tanto fortius iacit sagittam; de quo arcu dicit [b] David, II Reg. 1, 18: *Ut*
* *Af. 124* *cdoceret,* scilicet * Deus, *filios Iuda arcum,* ubi falsae Bibliae habent *planctum.* Iste est arcus,

[a] AB *que.* [b] B *ait.*

[1] Cap. 70 (PL 196, 50). [2] Gen. 49, 24.

de quo dicit Iob 29, 20: *Arcus meus in manu mea instaurabitur.* Iste est *arcus*, quem Deus posuit *in nubibus caeli,* ut dicitur Gen. 9, 13, idest in doctoribus Ecclesiae intellectu et affectu sublimatis et ad caelum suspensis, de quibus dicit Isai. 60, 8: *Qui sunt isti, qui ut nubes volant et quasi columbae ad fenestras suas?* De quibus nubibus Moyses erat, qui utique doctrinae pluviam effundebat. Propter quod dicit Deut. 32, 1-2: *Audite, caeli, quae loquor, audiat terra verba oris mei: concrescat in pluvia doctrina mea, fluat ut ros eloquium meum, quasi imber super herbam et quasi stillae super gramina;* et in Psalmo [1]: *Pluviam voluntariam segregabis, Deus, hereditati tuae,* et sequitur: *Dominus dabit verbum evangelizantibus virtute multa.* De quibus etiam nubibus dicitur Iob 37, 16: *Numquid nosti semitas nubium eius magnas et perfectas scientias?*

Iste est *arcus refulgens inter nebulas gloriae,* ut dicitur Eccli. 50, 8, qui generatur ex reflexione radii solaris, idest veritatis aeternae, in nube lucida, concava et aquosa, idest in anima pura, humili et gratiosa. Quatuor autem colores istius arcus sunt quatuor sensus qui in sacra Scriptura apparent, scilicet historicus, tropologicus sive moralis, allegoricus et anagogicus.

[1] Psalm. 67, 10.

Historicus ostendit quid factum, moralis quid faciendum, allegoricus quid credendum, anago-
Af.124d gicus quid sperandum. De quo * arcu Ezech. 1, 28, postquam descripsit quatuor animalia et supereminens firmamentum et sedem et sedentem, dicit: *In circuitu eius velut arcus, cum fuerit in nube in die pluviae.* Firmamentum est sa-
Bf.47a cra Scriptura, iuxta illud Psalmi [1]: * *Opera manuum eius annuntiat firmamentum;* quatuor animalia significant alias scientias, quae omnes subsunt sacrae Scripturae: *firmamentum* enim dicitur *imminere super capita animalium* [2].

Quatuor autem facies ibi ostenduntur, scilicet leonis, hominis, bovis et aquilae [3]. Facies leonis signat [a] mathematicam, quae propter certitudinem demonstrationis nullam habet formidinem alicuius deceptionis vel opinionis; unde in modum *leonis fortissimi bestiarum ad nullius pavet occursum,* ut dicitur Prov. 30, 30. Facies hominis signat [b] rationalem: homo enim animal rationale; signat etiam moralem, quae mores et actus humanos ordinat et informat, ad quam etiam pertinet notitia iuris canonici et civilis. Facies vero bovis philosophiam naturalem, quia bos est animal deputatum culturae terrae, quae

[a] B *significat.* [b] B *significat.*

[1] Psalm. 18, 2. [2] Ezech. 1, 26. [3] Ezech. 1, 10.

inter omnia elementa magis habet de materia, in qua etiam generationes, corruptiones et transmutationes, idest naturalia opera, plura fiunt [a] quam in aliquo alio [b] elemento, sicut naturalis philosophia generationem et corruptionem et transmutationem investigat naturalium rerum. Hinc est quod divina lege cavetur ne quis *aret in bove et asino,* ut dicitur Deut. 22, 10; copulatio enim bovis et asini signat illum, qui cum rudi [c] ingenio non instructo in trivialibus intrare vult ad comprehensionem naturalis philosophiae, et, quia ex hoc errores proveniunt, prohibetur.

Facies * autem *aquilae desuper ipsorum quatuor** *Af.125a* signat metaphysicam, quae omnes has quatuor, scilicet mathematicam [d], rationalem, moralem et naturalem, praecedit; et sicut aquila altissime volat, acutissime videt, limpidissime aspicit ita ut solem contempletur in rota, sic metaphysica essentias nudas et abstractas investigans causas perquirit altissimas quousque ad primam et summam causam causarum perveniat. Propter quod est difficilis valde, quia ad narrationem huius causae deficiunt omnes linguae. Nam, ut Philosophus dicit, in principio *Novae Meta-*

---

[a] B *fiunt plura.* [b] B *alio aliquo.* [c] A *rodi.*
[d] A om. *quae... mathematicam.*

physicae [1]: « Consideratio quidem in veritate difficilis est uno modo et alio modo facilis: verissima enim et manifestissima sunt in se, nobis tamen occultissima ». Unde dicit ibi quod « intellectus noster se habet ad manifestissima na-
*Bf. 47b turae sicut oculus * noctuae ad lucem solis ». Et ideo unum de tribus difficilibus Salomoni est [a] *via aquilae in caelo,* ut dicitur Prov. 30, 19.

Ab hoc arcu egrediuntur illae sagittae [b], quae parvulos interficiunt babylonicos, idest peccatores, filios confusionis. Unde Isai. 13, 17, de onere Babylonis dicit: *Suscitabo super eos Medos, qui aurum non velint et argentum non quaerant, sed sagittis parvulos interficient.* Medi autem interpretantur ' *mensurantes* [c] *se* ' et signant humiles praedicatores, idest Minores, de quibus Paulus erat, qui dicit II Cor. 10, 12: *Non audemus comparare nos quibusdam, qui seipsos commendant, sed ipsi in nobis nosmetipsos metientes* [d] *et comparantes nosmetipsos nobis.* Isti sunt, quibus *aurum et argentum non est* [2], sed hoc dant quod habent: *acuunt* enim *sagittas, implent pharetras,* veniunt et *enarrant in Sion opus Domini,* ut dicitur Ierem. 51, 10-11. Tenent
*Af. 125b enim et *allidunt parvulos* Babylonis * *ad pe-*

[a] B *est Salomoni.* [b] B *sagittae illae.* [c] B *mesurantes,* A *miserantes.* [d] A *mentientes.*

[1] Aristot., *Metaphys.* II, c. 1, text. 1. [2] Act. 3, 6.

tram [1], quae Christus est: *sagittae* enim *eorum acutae et omnes arcus extenti,* ut dicitur Isai. 5, 28.

Et attende quod dicitur iste arcus Ioseph sedere *in forti,* ubi patientiae virtus denotatur. Si enim arcus non teneatur forti manu, non potest ictum facere, quin potius aliquando sagitta retorquetur ad sagittantem, sicut clare videtur in pueris qui arcum fortiter tenere non possunt et ideo se ipsos percutiunt, quod et mihi ipsi aliquando accidit. Isti sunt doctores, qui *conversi sunt in arcum pravum* [2]. Quod verbum exponens Gregorius, XXVII *Moralium,* ait [3]: « *Arcus pravus* sive perversus ipsum a quo intenditur percutit ». Haec Gregorius. Isti sunt, qui *extenderunt linguam suam quasi arcum mendacii et non veritatis,* ut dicitur Ierem. 9, 3; quorum *sagittae* quae deberent esse *parvulorum,* idest ad convertendum peccatores, *factae sunt plagae eorum,* quia ipsimet se percutiunt *dum infirmatae sunt contra eos linguae eorum,* ut dicitur in Psalmo [4]. Quos arguit Apostolus, Rom. 2, 21-22: *Quid praedicas non furandum? furaris; quid praedicas non moechandum? moecharis; quid alium doces? te ipsum non doces.* Quia qui voce praedicat quod vivendo non implet, non

[1] Psalm. 136, 9; I Cor. 10, 4. [2] Psalm. 77, 57.
[3] Cap. 46, n. 75 (PL 76, 442). [4] Psalm. 63, 9.

est aliud quam se sua voce damnare. Propter quod et in laudem fortissimi Ionathae, qui *fortior* dictus est *leone* [1], dicitur II Reg. 1, 22:
Bf.47c *Sagitta Ionathae nunquam abiit retrorsum;* et de eius simili dicitur, Ierem. 50, 9: *Sagitta eius, quasi viri fortis interfectoris, non revertetur vacua;* et Zachar. 10, 4-5: *Ex ipso arcus praelii, et erunt quasi fortes et bellabunt, quia Dominus cum eis.*

Doctores enim ita fortes esse debent, ut nihil
Af.125c possit eos a caritate Christi separare; iuxta quod Paulus dicit, Rom. 8, 35: *Quis nos separabit a caritate Christi? tribulatio an* [a] *angustia? persecutio an fames? an nuditas? an periculum? an gladius?* etc. Quin immo persecutio et tribulatio multum promovet pastores ad intelligentiam. Iuxta quod Gregorius dicit [2]: « Abel esse renuit, quem Caïn malitia non exercet; ferrum quippe nostrae mentis ad acumen non potest pertingere veritatis, nisi hoc alterius eraserit lima pravitatis ». Haec Gregorius. Abel autem primus sacerdos exstitit et primus pastor; unde Gen. 4, 2-4: *Fuit Abel pastor ovium, obtulit quoque Domino de primogenitis gregis sui et de adipibus eorum, et respexit Deus ad Abel*

[a] B om.

[1] II Reg. 1, 23. [2] *In Evang.*, II, hom. 38, n. 7 (PL 76, 1186).

et ad munera eius. Et Richardus, in *Beniamin,* de Ioseph ait [1]: « Nescit puer iste cum pereuntibus perire; nescit discretio per rerum detrimenta, per tentationum argumenta deficere, sed proficere. Quanto enim acrioribus tentationibus urgemur, quanto crebrioribus periculis exercemur, tanto perfectius ad discretionem erudimur et saepe aliarum virtutum damna discretionis lucra sunt. Novit itaque Ioseph non solum cum crescentibus crescere, cum proficientibus proficere, verum etiam ex fratrum defectu ad profectum tendere et ex aliorum detrimentis prudentiae lucra acquirere. Recte itaque '*augmentum*' nominatur, recte '*filius accrescens*' dicitur, qui semper augmentatur cuiusque in-*cre-* *Af.125d*
mentum usque in finem [a] non finitur ». Haec Richardus.

Tales enim debent esse *filii excussorum sicut sagittae in manu potentis,* ut dicitur in Psalmo [2]. Unde et Iacob dedit ipsi Ioseph *partem unam extra fratres* suos, *quam tulit de manu Amorrhaei in gladio et arcu* suo, ut dicitur Gen. 48, 22; *cum sagittis* enim *et arcu ingredientur illuc,* * ut* *Bf.47d* dicitur Isai. 7, 24. Istud est *praedium* illud, *quod Iacob dedit* [b] *Ioseph filio suo,* in quo est *fons* et

[a] B *fine.* [b] B *dedit Iacob.*

[1] Cap. 68 (PL 196, 49). [2] Psalm. 126, 4.

puteus magnus et *altus, supra* quem Christus *sedet.* Hic est fons aquae sapientiae salutaris[1], de qua bibere non potest nisi qui scyphum illum habet, in quo auguriari solet Ioseph, qui *inventus* est solum *in sacco Beniamin*[2] fratris minoris, ut in [a] infra dicetur; alii autem de hac aqua potare non possunt, quia *in quo hauriant non habent et puteus altus est,* ut dicitur Ioan. 4, 5-11.

Prosequitur autem Iacob et dicit[3]: *Dissoluta sunt vincula brachiorum et manuum eius per manus potentis Iacob, inde pastor egressus est lapis Israel.* Hoc est enim quod dicitur in Psalmo[4]: *In servum venumdatus est Ioseph, humiliaverunt in compedibus pedes eius, ferrum pertransiit animam eius; donec veniret verbum eius, eloquium Domini inflammavit eum; misit rex et solvit eum* [b], *princeps populorum, et dimisit eum; constituit eum dominum domus suae et* [c] *principem omnis possessionis suae, ut erudiret principes eius sicut semetipsum* [d] *et senes eius prudentiam doceret.* Et Eccli. 49, 17: *Ioseph, qui natus est homo, princeps fratrum, firmamentum*
* *Af.126a* *agentis, rector fratrum, stabilimentum populi.* *
Et Sap. 10, 13-14 dicitur quod Sapientia hunc

[a] A om. [b] B om. [c] B om. [d] B om.

[1] Cf. Ioan. 4, 14. [2] Gen. 44, 12. [3] Gen. 49, 24.
[4] Psalm. 104, 17-22.

iustum Ioseph *venditum non dereliquit, sed a peccatoribus liberavit, descenditque cum illo in foveam et in vinculis non dereliquit eum, donec afferret* [a] *illi sceptrum regni;* et I Machab. 2, 53: *Ioseph in tempore angustiae custodivit mandatum et factus est dominus Aegypti.*

Sequitur Iacob, ubi supra [1]: *Deus patris tui erit adiutor tuus et Omnipotens benedicet tibi benedictionibus caeli desuper, benedictionibus abyssi iacentis deorsum* etc. Huic etiam benedictioni alludit benedictio Moysi, Deut. 33, 13-15: *De benedictione,* inquit, *Domini terra Ioseph, de pomis caeli et rore atque abysso subiacenti, de pomis fructuum solis et lunae, de vertice antiquorum montium, de pomis collium aeternorum* etc. [b].

Unde undecimum fundamentum istius civitatis est hyacinthus, cuius color « cum aere mutatur: in sereno perspicuus, in nubilo obscurus; et signat disertissimos doctores * omnibus qua- *Bf. 48a*
litatibus, moribus et aetatibus et [c] intellectibus se contemperantes, ut Paulus ». Ita dicitur in Glossa [2] Apoc. 21, 20; dicitur etiam in *Lapidario* [3] quod hyacinthus sensum naturalem renovat, cor exhilarat et contra venena valet, et

[a] B *auferret*. [b] B om. [c] A om.

[1] Gen. 49, 25. [2] In h. l., ap. Lyran. (ed. cit., f. 273v).
[3] Cf. Marbodus, l. c., 14 (PL 171, 1748sq.).

quod ei qui eum defert nulla pestifera nocere possunt.

Beniamin [a].

Tertio et ultimo requiritur suavis degustationis sive consolationis excessus exstaticus; et hoc signatur in tribu Beniamin, fratris minoris, quia hic est vere consummatio perfectionis fratrum Minorum, quae ascendendo venit per omnes gradus praedictos, qui sunt in scala Iacob, usquequo *Dominum* contempletur et amplexe-
* *Af.126b* tur *innixum scalae* [1]. * Ista enim est sponsa, quae *ascendit de deserto* poenitentiae *deliciis* spiritualibus *affluens*, *innixa super Dilectum* suum, ut dicitur Cant. 8, 5.

Nec poterat talis filius de Iacob generari nisi prius angelos Dei obviam haberet, nisi prius in baculo suo Iordanem transiret, nisi prius cum eo, non contra eum, angelus luctam faceret, nisi prius concupiscentiae fomes in eo exstinctus esset, quia *tetigit* angelus *nervum femoris eius et emarcuit* [2], nisi prius *Dominum facie ad faciem videret* benedictionemque ab eo acciperet, ut dicitur Gen. 32, 29-30, nisi prius in

[a] A om.

[1] Gen. 28, 13. [2] Gen. 32, 25.

Bethel, idest in [a] domum Dei, ascenderet et nomen Iacob in Israel commutaret, ut dicitur Gen. 32, 28. Quae omnia quam sint profunda et sacrata mysteria, *qui legit intelligat* [1].

Longe etiam post Ioseph Beniamin natus est; cuius rationem Richardus assignat, in *Beniamin,* ita dicens [2]: « Longe post Ioseph Beniamin gignitur, quia animus, qui in sui cognitione diu exercitatus pleneque eruditus non est, ad Dei cognitionem non sustollitur [b], frustra cordis oculum erigit ad videndum Deum, qui nondum idoneus est ad videndum se ipsum. Prius discat homo cognoscere invisibilia sua quam praesumat apprehendere invisibilia divina. Prius est ut cognoscas invisibilia spiritus tui quam possis esse idoneus ad cognoscendum *invisibilia Dei* [3]. Alioquin si non potes cognoscere te, qua fronte praesumis apprehendere ea quae sunt supra te? Praecipuum et principale speculum ad videndum Deum mens rationalis ab-*sque dubio invenit seipsam. Tergat ergo* *Bf.48b* speculum, * mundet spiritum suum, quisquis* *Af.126c* sitit videre Deum suum. Hoc itaque speculum non desinit verus Ioseph tenere, tergere et in-

[a] A om. [b] AB *subtollitur.*

[1] Marc. 13, 14. [2] Cap. 71 et 72 (PL 196, 51 sq.).
[3] Rom. 1, 20.

desinenter inspicere: tenere, ne deorsum corruens terrae per amorem inhaereat; tergere, ne inanium cogitationum pulvere sordescat; inspicere, ne ad inania studia intentionis suae oculum reflectat». Haec Richardus.

Iste etiam est filius ille, in cuius partu Rachel moritur in Ephrata, ut dicitur Gen. 35, 19, quia *fortis est ut mors dilectio,* Cant. 8, 6. Per Rachel autem, quae interpretatur '*visio*', intelligitur ratio sive potentia intellectiva, quae in hac exstasi omnino deficit et enixa crepat, et ideo ultra hunc non nascitur filius Iacob. Intelligitur etiam per Rachel, quae interpretatur '*videns Deum*', vita contemplativa, quae hoc adepto filio requiescit, quia hic est sopor cum excessu. Locum autem quietis non accipit nisi in Ephrata, quae interpretatur '*frugifera*' sive '*fertilis*'. Haec eadem est Bethleem, quae interpretatur '*domus panis*' sive '*domus refectionis*'; in hac enim Christus nascitur, ibi[a] Christus in praesepio reclinatur, ibi ab angelis cantatur: *Gloria in altissimis Deo et in terra pax hominibus bonae voluntatis,* ibi a pastoribus invenitur, ibi a Magis adoratur *qui*[b] *natus est rex Iudaeorum* [1]. In hoc enim est *caritas* illa per-

[a] B *ubi.* [b] B *quia.*

[1] Luc. 2, 7, 14, 16; Matt. 2, 2.

fecta quae *foras mittit timorem,* quia *timor non est in caritate,* ut dicitur I Ioan. 4, 18. Propter quod matri, cum hunc filium pareret, ait obstetrix, Gen. 35, 17: *Noli timere, quia et hunc habebis filium;* non dixit: Noli dolere, quin immo *egrediente anima prae dolore vocavit nomen* eius *Benoni, idest filius doloris mei.* * *Af.126d

Unde Richardus, in *Beniamin*[1]: « Quid autem huius visionis dulcedine appetitur salubrius? quid sentitur suavius? quid animus experitur iucundius? Novit hoc Rachel; nam nec rationem latere potest, quia in huius suavitatis comparatione omnis dulcedo amara [a] est. Hinc est quod studium laxare nec desiderium suum potest temperare. Hinc illa tanta parientis anxietas et doloris immensitas. Unde namque putas tanta doloris magnitudo, nisi ex indesinenti studio et impa-*tienti desiderio crescit quotidie* *Bf.48c et ex desiderio labor et ex labore dolor, augmentatur quotidie et ex studio desiderium et ex desiderio studium? Scit tamen Rachel hoc negotium super vires suas esse, non tamen valet studium suum aut desiderium temperare. Ad tantam namque gratiam nunquam pertingit mens per propriam industriam. Dei est hoc do-

[a] A *amaritudine.*

[1] Cap. 73 (PL 196, 52).

num, non hominis meritum. Sed absque dubio tantam talemque gratiam accipit nemo sine ingenti studio et ardenti desiderio. In tanta itaque quotidiani conatus anxietate, in huius doloris immensitate et Beniamin nascitur et Rachel moritur, quia cum mens hominis supra seipsam rapitur, humanae rationis angustias supergreditur. Ad illud enim quod supra se elevata et in exstasi rapta de divinitatis lumine conspicit, omnis humana ratio succumbit». Haec Richardus.

Deinde a patre vocatus est *Beniamin, idest filius dexterae* sive filius virtutis [1]. Non enim est dignus quis *ad dexteram* stare virtutis nisi prius *calicem bibat* doloris, ut Dominus ostendit filiis Zebedaei [2]. Huic enim est *laeva sub capite et dextera* in *amplexu* [3].

Hic est ille frater minimus, quem Ioseph vi-
* *Af.127a* *dere desiderat, super [a] quem eius *viscera commoventur*, quo viso *ultra se iam cohibere non potest* [4]. Sed hic semper cum patre versatur domi, *ne forte quidquam mali patiatur in itinere*, ut dicitur Gen. 42, 4, quin potius lamentatur et dolet nimis si ducatur pro alimoniis, quia *non potest puer relinquere patrem suum: si*

[a] B *supra.*

[1] Gen. 35, 18. [2] Matt. 20, 23. [3] Cantic. 2, 6.
[4] Gen. 43, 30; 45, 1.

enim illum dimiserit, morietur, ut dicitur Gen. 44, 22. Iste enim est, qui dicit in Cant. 5, 3: *Exspoliavi me tunica mea, quomodo induar illam? lavi pedes meos, quomodo inquinabo illos?* Unde Richardus, in *Beniamin* [1]: « Quid est Beniamin descendere in Aegyptum? nisi ab aeternorum contemplatione ad temporalia contemplanda intuitum mentis revocare, et ab aeternitatis luce quasi de caeli vertice usque ad mutabilitatis tenebras intelligentiae radios imponere, et in tanta alternantium rerum confusione divinorum iudiciorum rationem perpendere ex magna parte et penetrare ». Haec Richardus.

Propter quod Moyses hunc benedicens ait, Deut. 33, 12: « *Beniamin, amantissimus Domini,* * *habitabit confidenter in eo, quasi in thalamo tota* *Bf. 48d* *die morabitur et inter humeros illius requiescet.* Quod verbum tractans Richardus, in *Beniamin,* ait sic [2]: « Quid putas est quod iste Beniamin *tota die in thalamo* moram facit, quod ibi iugiter *requiescit,* in tantum ut nec ad horam saltem exire velit? Illud autem scimus quod in thalamis soleant sponsus et sponsa simul morari, amoris obsequiis in alterutrum occupari, mutuis amplexibus et caritate alterna confoveri. Mirandae ergo pulcritudinis formae singularis, ni fallor, praerogativa pollet, quae-

[1] Cap. 87 (PL 196, 62). [2] Cap. 85 (PL 196, 60sq.).

*Af.127b cumque sit illa Beniamin * dilecta, cuius contubernium nunquam fastidire valet et a cuius amplexibus nec ad horam abesse valet ». Haec Richardus. Et in Psalmo [1]: *Beniamin adolescentulus in mentis excessu.*

De hac tribu fuit Apostolus Paulus, qui *raptus est in paradisum ad tertium caelum,* ubi *audivit arcana verba quae non licet homini loqui,* ut ipse dicit II Cor. 12, 2-4, quia ipse, audeo dicere, exstitit frater Minor. Unde Paulus dictus est a ' *paululum* ', quasi paululus [a] sive modicus, quia ipse ait, I Cor. 15, 9: *Ego autem sum minimus Apostolorum,* et Ephes. 3, 8-9: *Mihi autem omnium Sanctorum minimo data est gratia haec, in Gentibus evangelizare investigabiles divitias gratiae Christi et illuminare omnes quae sit dispensatio sacramenti absconditi a saeculis in Deo, qui omnia creavit.* Hunc etiam benedicens Iacob ait, Gen. 49, 27: *Beniamin, lupus rapax, mane comedet praedam et* [b] *vespere dividet spolia,* quod exponit Augustinus [2] de Paulo.

Iste est frater minor, in cuius tribu est Ierusalem et templum Domini, de quo Apoc. 3, 12: *Qui vicerit, faciam illum columnam in templo Dei mei et foras non egredietur amplius, et scri-*

[a] B om. *quasi paululus.* [b] A om.

[1] Psalm. 67, 28. [2] Sermo 189, in Appendice, alias 14 de Sanctis (PL 39, 2098).

bam super illum nomen Dei mei et nomen civitatis Dei mei, novae Ierusalem, quae descendit de caelo a Deo meo, et nomen meum novum. Ubi Glossa [1]: «Filius minor exierat, sed amplius non exibit». Hic est, qui super omnes fratres a Ioseph duplicia recipit quique *volumen scriptum intus et foris* devorans *dat praedam* [a] *domesticis suis et cibaria ancillis suis* [2]. *Vespere* autem *dividit spolia,* quia advesperascente iam mundo in plenitudine temporum a littera occidente spiritum * vi-*vificantem discernit, et hoc est quod maxime Ecclesiam Dei aedificat et exornat, iuxta illud Psalmi [3]: *Speciei domus dividere spolia.* Propter quod et scyphus ille, in quo auguriari solet Ioseph, cui similis non est in auguriandi scientia, *inventus* est solum *in sacco Beniamin,* fratris minoris, ut dicitur Gen. 44, 12 — augurium autem est divinatio, quae accipitur a cantu avium: unde augurium dicitur quasi avigarium — et signat intelligentiam quae accipitur de dictis sanctorum doctorum, qui aves caeli dicuntur, et maxime illorum quatuor animalium pennatorum, scilicet evangelistarum, in quibus perfectio et consummatio totius sacrae Scripturae et vitae christianae perfectissime reperitur.

*Af. 127c
*Bf. 49a

[a] B *predat.*

[1] In h. l., ap. Lyran. (ed. cit., f. 246r). [2] Apoc. 5, 1; 10, 10; Prov. 31, 15. [3] Psalm. 67, 14.

Et ideo, licet alii saccos suos plenos frumento, quo alios cibare verbo praedicationis possunt, se habere glorientur, solus tamen frater Minor supra frumentum scyphum habet, quia solus est qui alios *cibare* potest *pane vitae et intellectus et aqua sapientiae salutaris potare* [1], sapientiae scilicet evangelicae, quae sola confert salutem, cuius culmen obtinet in vita pariter et doctrina. *eriamin* enim *possidebit Galaad,* ut dicitur Abdiae in fine, 19; Galaad autem interpretatur *'Acervus testimonii'* et signat sacram Scripturam. Hic est Othoniel, *frater Caleb minor,* qui *percussit Cariath Sepher,* quae dicta est *civitas litterarum,* ut dicitur Iud. 1, 11, quia sibi *abscondita sapientibus et prudentibus* meruit *revelari* [2]. Vere ergo *beati sumus, quia quae Deo placent manifesta sunt nobis,* ut dicitur Bar. 4, 4; *non* tamen *fecit taliter omni nationi et iudicia sua non manifestavit eis,* ut dicitur in Psalmo [3]. *Af. 127*

Unde duodecimum fundamentum huius civitatis est amethystus, cuius est color « purpureus mixto colore violae et rosae, flammulas quasdam de se effundens », ut dicitur in Glossa [4] Apoc. 21, 20. Et signat quod qui vult esse Beniamin, idest perfectus frater Minor, debet

[1] Eccli. 15, 3. [2] Matt. 11, 25. Cf. J. Peckam, *Cant. paup.*, p. 195. [3] Psal. 147, 20. [4] In h. l., ap. Lyran. (ed. cit., f. 273v).

habere praecipue colorem violae, in quo attenditur virtus profundae humilitatis cum odore bonae operationis, et colorem rosae, in quo attenditur virtus * praecipuae caritatis cum de- *Bf. 49b
siderio martyrii, ita ut pro inimicis oret et persecutoribus, quamque martyres habuerunt: quod significatur in colore purpureo, qui est color sanguinis; ac sic de salute omnium curet et flammas ardentes et illuminantes ad omnes transmittat [a] tam exemplo vitae quam verbo doctrinae.

Huius igitur Beniamin fratris minoris summam perfectionem desiderare, ad hanc anhelare hancque apprehendere summopere studeat, quicumque nomen habet sive habitum portat fratris Minoris, ne tantum in [b] exterioribus gaudens, sanctitate vacuus, spiritu exstinctus, cum virginibus fatuis a nuptiali thalamo Regis aeterni excludatur; quin potius plenus [c] pietate, ardens caritate ac omni fulgens morum honestate, cum *prudentibus* illis *virginibus* ad Regis aeterni, inclyti sponsi, Christi Iesu, aeternitatis cubiculum introductus, in eius thalamo ut alter Beniamin aeternaliter commoretur [1]. Quod nobis * praestare dignetur, per preces et merita *Af. 128a

[a] B *transmittit.* [b] B om. [c] B om.

[1] Cf. Matt. 25, 1-13.

beati patris Francisci omniumque sanctorum fratrum Minorum qui fuerunt, sunt et erunt, aeternus ille noster Salvator, Dei Filius Iesus Christus, cui cum Patre et Spiritu Sancto est omnis honor et gloria in saecula saeculorum. Amen.

Pulmentum hoc studui *coquere filiis prophetarum*, in quo si agri colocynthidas, alicuius scilicet exterioris scientiae sententias, interserui, nequaquam erit ob hoc insipidum seu mortiferum [a], quia manu Elisei superinfusa farinula, sacra scilicet theologia, eas ut extimo salutifere dulcorabit, ut dicitur IV Reg. 4 [b], 38-41. Lectorem autem moneo ego qui scripsi, ne in praedictis ornatum stili seu fucum verborum requirere velit, quia nec ad hoc studui: non enim debet hic requiri decus loquendi, sed ordo vivendi, non modus prolationis, sed virtus religionis, non color rhetoricus, sed status perfectus. Propter quod non tantum legat, sed audiat . . .

Af.128b * Obsecro ut oculo columbino diligenter inspiciens pie indulgeat et caritate praevia corrigat et emendet, attendens mei ruditatem ingenii, parvitatem intelligentiae et tarditatem

[a] B om. *s. m.* [b] B add. *etc. Explicit meditatio pauperis in solitudine.*

memoriae, ex quibus ex cellario pauperrimo mensam affluentem praeparare non potui; quod et ego libenter fecissem, si habuissem ferculum Salomonis. Licet enim *a iuventute mea pauper* essem *et in laboribus* multis [1], ipsam tamen meam paupertatem non agnovi perfecte, nisi cum in . . . virga percussus et in loco soli[tario] constitutus vidissem . . .

[1] Psalm. 87, 16.

INDEX AUCTORITATUM

Adamantius expositor, 139, 141.
Adamus de S. Victore, 333.
Ambrosius:
De fuga saeculi, 126.
De officiis, 199.
De paradiso, 63, 305.
De poenitentia, 64, 305.
De Spiritu Sancto, 30, 45.
De Trinitate, 26, 160, 170, 172.
Super Lucam, 20, 125.
Anselmus:
De similitudinibus, 236, 260.
De veritate, 131.
Monologion, 150.
Proslogion, 150.
Anonymi:
Evangelium Nazaraeorum, 71, 110.
Lapidarius, 290, 292, 302, 307, 314, 323.
Liturgica, 7, 42, 45, 84, 134, 154, 161, 177, 182, 194, 215.
Versus, 183, 218, 306.
Vitae Patrum, 206, 257, 267.
Augustinus, 122, 129, 139, 228, 282.
Confessionum, 73, 128, 150, 153, 158, 193, 201, 224, 246, 302.

Contra adversarium Legis et prophetarum, 257.
De agone christiano, 74.
De baptismo contra Donatistas, 80.
De baptismo parvulorum, 74, 156.
De civitate Dei, 128, 151, 155, 158, 236, 239, 264.
De doctrina christiana, 51, 53, 68, 72, 107, 149, 150, 152, 163, 251.
De gratia Novi Testamenti, 72, 96, 102, 239.
De lapsu mundi, 236. Cf. *Praef.* p. XXIII.
De sermone in monte, 307.
De singularitate clericorum, 218.
De spiritu et anima, 330.
De Trinitate, 3, 74, 98, 127, 131, 237.
De vera et falsa poenitentia, 290.
De vera innocentia, 243.
De vera religione, 333.
De virginitate, 235.
Enchiridion, 264.
Epistolae, 81, 124, 130, 131, 133, 249, 259.
In Ioannem, 76, 108, 243, 252, 329.
Quaestiones N. et V. Testamenti, 59.
83 Quaestionum, 25, 54.
Regula, 261.
Sermones, 12, 70, 154.
Soliloquiorum, 130.
Super epistolam ad Romanos, 189.
Super epistolam I Ioannis, 50, 80, 101, 193, 239, 241, 243, 265, 300, 305.
Super Genesim, 188, 189, 151, 200, 264.
Super Psalmos, 131, 208, 248, 276, 341.
Beda, 236.
Benedictus, *Regula*, 256.
Bernardus, 246.
De gradibus humilitatis, 242, 248, 249.
De interiori domo seu de conscientia, 126, 308.
De praecepto et dispensatione, 256.

Formula honestae vitae, 227, 244.
Epistolae, 211, 227, 244, 251, 256.
Sermones, 74, 78, 81, 207, 262.
Super Canticum, 245.
Boethius, *De Trinitate*, 152.
Bonaventura:
Breviloquium, 303.
De perfectione evangelica, 244, 247-252.
In Hexaemeron, 277, 279, 280, 282, 290, 293, 303, 305, 314, 325, 327-329, 330, 336.
Legenda maior, 18, 43, 45, 46, 78, 83, 88, 104, 120, 147, 175, 177, 181-183, 206.
Legenda minor, 177.
Super Sententias, 166, 185, 382.
Cancellarius Parisiensis, 85.
Chrysostomus, 246.
De reparatione lapsi, 63.
Super Matthaeum, 62, 206, 208.
Damascenus:
De fide orthodoxa, 257.
De philoretis, 8.
Dionysius:
De caelesti hierarchia, 151, 324, 327.
De mystica theologia, 326, 331.
Epistola ad Dorotheum, 324.
Franciscus (S.), *Regula II*, 47, 101, 104, 205, 242, 245, 257-259, 261-264, 266, 268, 275, 276, 297, 299.
Gilbertus Porretanus, *Prologus in Apoc.*, 139.
Glossa, 20, 53, 56, 58, 129, 131, 145, 203, 209, 250, 253, 269, 272, 274, 286, 290, 292, 301, 303, 307, 313, 163, 186, 187, 322, 335, 353, 361, 362.
Gratianus, *Decretum*, 64, 66, 305.
Gregorius M., 211.
Dialogi, 175, 205, 245.
In Evangelia, 16, 61, 82, 108, 154, 195, 197, 199, 202, 204, 264, 250, 300, 315, 334, 350.

Moralium, 67, 109, 110, 222, 242, 246, 260, 263, 265, 273, 298, 245, 246, 250, 349.
Pastoralis, 49, 64, 75, 105, 311.
Super Ezechielem, 98, 122, 123.
Gregorius Nazianzenus, 118.
Guido de Marchia, 183, 218. Cf. *Praefat.* p. XXXI sq.
Hieronymus, 4, 5, 25, 29, 66, 86, 123, 218, 336.
Contra Vigilantium, 218.
De Exodo, 89.
Epistolae, 12, 119, 138, 218, 220, 221, 223, 233, 241, 257, 266, 267.
In Ecclesiasten, 87.
Prologus galeatus, 6.
Super Isaiam, 139.
Super Psalmos, 7, 32, 49, 50, 82, 92, 99, 105, 122, 127, 160, 170, 173, 195, 213, 221, 299.
Hilarius, *De Trinitate*, 46, 160, 169, 171.
Hugo de S. Victore:
De arrha sponsae. 21.
De instructione novitiorum, 257.
De sacramentis, 43.
Didascalicon, 281.
In Hierarchiam angelicam, 327.
Leo, 73.
Macrobius, *De somnio Scipionis*, 121, 303.
Nicolaus papa III, 8, 14, 144, 168.
Origenes:
Super Exodum, 264.
Super Genesim, 25, 26, 113, 150, 207.
Super Leviticum, 132, 204, 212.
Papias, 175.
Peckam (J. de), *Canticum pauperis*, 95-96, 136, 148, 178, 182, 210, 219-220, 222, 244-245, 255, 256-257, 268-269, 274-276.
Petrus Comestor, 343.
Petrus Lombardus, *Sententiae*, 264.

Philosophus:
De anima, 117, 150, 342.
De animalium generatione, 145, 279.
De caelo et mundo, 102, 144.
De causis, 126, 157.
De generatione et corruptione, 144, 200.
De mirabilibus auscultationibus, 145.
De plantis, 145.
Ethicorum, 122, 128.
Metaphysica, 151, 247, 348.
Physicorum, 155, 157, 332.
Topicorum, 137.
Plotinus, *De virtutibus*, 303.
Prosper:
De vita contemplativa, 80.
Sententiae, 243.
Rabanus:
Glossa in Eccli. 52, 65, 323.
Glossa in Sap. 130.
Rabbi Moyses, 162.
Richardus de S. Victore, *Beniamin*, 242, 286, 288, 291, 292, 298, 299, 309, 310, 312, 316, 333, 338, 344, 351.
Tullius, *De officiis*, 262.

	ERRATA	CORRIGE
Pag. 28, l. 19:	ad	ab
» 43, l. 5:	singularlter	singulariter
» 47, l. 24:	vendicant	vindicant
» 66, l. 15:	redisset	rediisset
» 77, l. 6:	sunt	sum
» 83, l. 19-20:	ad perfectione	ad perfectum
» 84, l. 21-22:	ditur	dicitur

» 108, nota 2, addendum: 'Relate ad sequentem textum *Inter natos mulierum*, cf. S. Bonav., *De nativ. S. Ioun. Baptistae*, sermo II (IX, 545 a)'.

» 182, nota 3, et pag. 274, nota 2, corrigendum est iuxta dicta in *Praefat.* pag. XXV.

» 239, notae 3 et 4 transponendae sunt.

» 270, nota 2, addendum: 'Cf. S. Bonav., *IV Sent.*, d. 47, a. 1, q. 1 (IV, 972 b)'.

Books printed in Italy

48003

240.83
An78

ANONYMUS AUCTOR SAEC. XIII.
AUTHOR

Meditatio Pauperis In Solitudine.
TITLE

Ferdinandus M. Delorme, O.F.M. (Ed.

DATE LOANED	BORROWER'S NAME	DATE RETURNED
	STORAGE - CBPI	

48003